



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

12756
III 9378
AD
2505
.597
.5

SOLLEMNES DECLAMATIONES
ADOLESCENTULORUM ET PUERORUM
IN AULA
IOANNEI HAMBURGENSIS

DIE VIII. M. APRILIS HORA MAT. X. AUDIENDAS

INVITAT

FRIDERICUS CAROLUS KRAFT,

THEOLOG. ET PHILOSOPH. DOCTOR, IOANNEI HAMBURGENSIS DIRECTOR ET PROFESSOR.

INSUNT:

1. EPISTOLAE P. LOTICHII SECUNDI LATINAE ANNOTATIONE INSTRUCTAE ET SELECTA QUAEDAM EIUSDEM POETAE CARMINA.
2. ANNALES IOANNEI HAMBURGENSIS INDE A TEMPORE PASCHALI MDCCCXLVI USQUE AD FINEM ANNI SCHOLASTICI.

HAMBURGI 1847.

TYPIS DESCRIPSIT IOANNES AUGUSTUS MEISSNER, AMPLISSIMI SENATUS,
GYMNASII ET IOANNEI TYPOGRAPHUS.

(RECAP)

507
2505

.597
.5

100

Quom nulla fere aetate post renata humanitatis studia defue-
rint, qui veterum literarum pertractationem vel negligenter, vel con-
temnerent, tum nostra memoria haud pauci exorti sunt, qui speciosis
magis quam veris gravibusque rationibus usi vituperarent atque accu-
sarent scholas et scholarum magistros, qui adolescentes bonarum artium
studiosos in doctae antiquitatis cognitione potissimum continendos
putarent¹⁾. Pars quidem non potuit non confiteri, notitiam earum
rerum, quas ingeniosissimi olim homines, Graeci eorumque aemuli non
spernendi, Romani, sollertissime invenerint ac luculente eleganterque
perscripserint, iucundam pariter atque utilem esse iis, qui supra vulgus
sapere et in eruditorum censum venire cuperent: minus tamen tem-
poris, operae, curae tribuendum esse iudicabant antiquarum linguarum
cognitioni et merito rationem habendam esse nostri aevi, quippe quod
postularet adeoque flagitaret scientiam doctrinarum atque artium,
unde maior et manifesta utilitas percipi posset²⁾. Alii nunc non
tam loquuntur quam clamant, in ludis literariis, ut bono parcatur
otio, imprimis omittendas abiiciendasque esse Latine scribendi et lo-
quendi exercitationes³⁾, quoniam non nisi diuturno usu, magna cura
et industria adolescentuli, quos futurae vitae praeparandos instru-
endosque suscepissent gymnasia, proficere in illa facultate queant.
Diligenter autem providendum esse pueritiae magistris, ne propter
veterem quandam superstitionem nimiamque antiquitatis admirationem
temere perdatur pretiosissimum bonum, quod rectius et prudentius
impendi possit disciplinis, quas praesentia tempora exigant, probe
atque accurate cognoscendis. Ita vero qui sentiunt et meliora aequales

A

docere resque scholasticas immutare, aut, ut ipsis videtur, emendare student, nae illi, si quid ego hoc in genere studiorum sapio, non satis secum mente reputarunt, quid potissimum propositum sit scholis, quae regunt et suppeditant institutionem atque disciplinam adolescentium ex scholarum umbris in lucem academiarum, quas κατ' ἐξοχὴν vocant, aliquando evolare cupientium. Scholae, quae antiquo, sed verissimo et ad rem plane appposito vocabulo dicuntur gymnasia, velut decorae ingeniorum palaestrae, in eo praecipue versari debent, ut, quicquid virium mentis a natura, hoc est, a Deo benignissimo, datum est pueris, exerceatur, fingatur, corroboretur, ut memoria rerum utilissimarum cognitione repleatur, ingenium ad verum perspicendum acuatur et animus ad omnis virtutis honestatisque amorem formetur et ad omnem vitae actionem instruatur. Ita demum fit, ut provectiore aetate, quum rite decursis scholarum spatiis, ad graviores disciplinas, quae traduntur a professoribus academicis transierunt, non modo facilius, sed fructuosius etiam discant, quae futurae vitae genus atque instituta requirunt. Neque enim prudentes praeceptores id sequuntur atque agunt, ut disciplinae suae alumnos ad certa muneris officia praeparent et excolant. Atque inter omnes, qui sunt idonei harum rerum existimatores, satis constat, non posse puerilia ingenia salubrius aptiusque conformari, quam Graecae Latinaeque linguae studio recte instituto, quae quidem utilitas valde dubito, an possit recentiorum linguarum cognitione compensari, quoniam et sermo Graecus et sermo Latinus, sive spectamus copiam et ubertatem, sive concinnitatem atque elegantiam, sive gravitatem et subtilitatem, suis numeris est perfectus atque consummatus. Quas laudes si quis eruditae antiquitatis scriptoribus aut denegare aut eripere ausit, is profecto neque recte neque prudenter fecerit⁴). Arguuntur quidem veteris disciplinae et institutionis laudatores et suasores non tantum ridiculi erroris, verum etiam perversae pervicaciae, quae politioris nostrae aetatis naturam et salutare temporum mutationes aut non perspiciant, aut perspicere nolint. At non realem, quae vulgo dicitur, sed formalem utilitatem quaerere et sectari debent gymnasia nostra. Si quando scholarum moderatores, rerum novandarum cupiditate abrepti, totam puerilis institutionis rationem ita mutaverint, ut quaecumque studiosi adolescentes tractant, unice ad fructum quaestumque ante oculos positum referant et huma-

nitatis studia, in quibus maiorum sapientia quasi arcem verae solidaeque eruditionis positam esse iudicabat, ex gymnasiis exsulare iusserint: sane verendum est, ne grave detrimentum affaratur literatae civitati, et saluberrimum ingeniorum pabulum atque exercitium intercipiatur⁵). Multitudine enim rerum, quas nostrum aevum utiles esse censet, puerilis animus obruitur magis et distrahitur, quam subigitur et conformatur. Neque sapienter pueritiae consulunt, qui eam ingrediuntur docendi praeciendiue viam atque rationem, quae discendi operam et laborem tam facilem et expeditum reddat, ut quasi ludibundi discipuli discant. Qui fructus ex hac institutione, quam nota illa *φιλανθρωπία* amplexabantur, provenerint, neminem fugiet, qui vel leviter artis paedagogicae historiam attigit. Summi contra homines et omni in genere laudatarum artium literarumque excellentes prodierunt ex scholis, quae pueros et adolescentes exemplaria Graeca et Romana diurna nocturnaue manu versare assuefaciebant. Fundamentis scientiae ibi diligenter iactis et mentis viribus confirmatis, facilius postea in academiis addiscebatur, quicquid rerum doctarum ad pleniorum eruditionem desiderabatur. Maiore etiam studio transibatur ad scholas academicas et maiore cura professorum *ἀκροάσεις* colebantur, quoniam iuvenilis animus novitate rerum allectus lubenter et constanter in iis cognoscendis versabatur. In gymnasiis autem si iam prope omne genus disciplinarum traditur, facile in teneris mentibus vel satietas quaedam creatur, vel nimia partae doctrinae opinio: quo utroque vitio quantum proficiendi et ingenii excolendi negotio obiciatur impedimentum, non erit quod pluribus hic demonstretur. Quicumque igitur vel auctoritate, vel eruditione et consilio aliquid possunt, maiorem in modum sunt exhortandi, ut optimarum artium humanitatisque studia ingenuo homine dignissima pro sua parte defendant et qui his diligenter operam navant, eos iuvent, diligant, ornent.

Sed quorsum haec a nobis disputata sunt? Nempe eo consilio, ut palam et aperte profiteremur, studiosos adolescentes, qui non ad vulgares artes aut ad quotidianum quaestum appulerint animum, ut omnes mentis vires bene fingant atque exerceant, potissimum imbuedos esse Graecae Latinaeque antiquitatis cognitione. Quod dum ingenuae dicimus ac prae nobis ferimus, tantum abest, ut contemnamus

vel recentiorum linguarum cognitionem, vel historiae, geographiae et imprimis mathematicorum tractationem, ut non mediocriter harum rerum notitia puerilem institutionem iuvare, augeri atque ornari existimemus. At iustus tenendus est modus et cavendum, ne peccetur in alteram partem. Neque illud est praetermittendum, adolescentes, qui antiquitatem cognitam habeant, id est, qui bene versati sint in Graecorum Romanorumque literis, artibus atque historia et in utriusque gentis institutis, legibus, moribus, recentiorum etiam rerum publicarum et recentioris vitae rationem facilius perspicere atque omnino de nostris temporibus rectius iudicare posse. Quod quidem non mirandum, quum omnem fere humanitatem, omnes liberales artes et civilem prudentiam debeamus illis, quos commemoravimus, populis. Hinc politioris vitae ducenda sunt prima elementa; his radicibus innixa vigere demum ac florere poterit altior ingeniorum cultus. Quapropter nec Latine scribendi loquendique consuetudinem abiciamus, quoniam persuasissimum nobis est, hac ipsa re optime conformari et confirmari non minus cogitandi et inveniendi sollertiam, quam fingi et poliri dicendi facultatem⁶). *Stilus enim* est, locupletissimo auctore Cicerone, *optimus dicendi magister*. Ac summi nostrae gentis scriptores aperte professi sunt, se non exiguam orationis partem debere studio veterum auctorum. Et quis tandem dubitet, quin Latinam linguam is demum accurate pleneque percipere possit, qui diu multumque scribendi exercitationes coluerit?

Sed veniendum est tandem ad id, quod nobis hoc in libello scholastico conficiendo propositum fuit. Praeter opinionem et expectationem suscipiendum erat scribendi negotium: praeterea hoc ipso tempore prelis ferventibus nos exercebant typothetae. Typis enim nunc describitur nostra et collegae doctissimi Mülleri opera concinnatum lexicon, quod vocant reale, antiquitatis studiosis maxime destinatum. Pauculum igitur otii, quod a muneris officiis supererat, consumpsimus in hoc programme perscribendo. Argumentum vero est eiusdem generis, quod delegimus abhinc hoc quinquennio, quum nos quartae editionis lexi Germanico-Latini parandae cura occupatos tenebat. Illo iam tempore destinavimus selectas quasdam Petri Lotichii Secundi epistolas annotatione instructas una cum Ulrici Hutteni, Erasmi Roterodamensis, Eobani Hessi et Hugonis Grotii

proponere: sed mutato propter angustias libelli consilio cunctas, quae in publica bibliotheca Hamburgensi asservantur, Lotichianas epistolas alii scribendi opportunitati reservandas putavimus.

Quae quidem epistolae iam olim ab Ioanne Petro Lotichio, patrueli Lotichii Secundi, collectae et ad edendum praeparatae erant. Huius sylloges exemplar accurate et nitide descriptum ex Uffenbachiana epistolari supellectile, de qua breviter dictum est in programme a. 1842. pag. 3., cum eximia bonorum librorum copia donaverat Ioannes Christophorus Wolfius bibliothecae publicae Hamburgensi. Insunt autem in hac collectione non tantum Lotichii, sed aliorum quoque ad Lotichium aliosque homines doctos missae epistolae, quas nunc edere non placuit. Lotichianas literas in usum iuventutis bonarum literarum studiosae proponendi consilio capto non sine dolore quodam cognovimus, eas ante centum fere annos a Petro Burmanno Secundo Amstelodami cum carminibus Lotichii typis esse descriptas. Verum haec editio apud Germanos tam rara est tantoque pretio constat — prodiit a. 1754. duobus spissis voluminibus formae quartanariae — ut non facile in manus eorum venire possit, quibus huncce scholasticum libellum scribere in animo erat. Et quum haud dubitarem, quin lectio illarum epistolarum aequae iucunda atque utilis futura esset nostris discipulis, maluimus inceptum nostrum persequi, quam aliam circumspicere materiam, otii praesertim penuria urgente. Dignae autem profecto sunt Lotichii epistolae, quae denuo in lucem proferantur, partim propter orationis elegantiam, qua legentium animos demulcent, partim propter rerum, de quibus scribitur, varietatem atque utilitatem, partim etiam propter plane honestum et vere amabilem, quo familiaribus commendatissimus erat, animum. Nam licet homo ingeniosus poëtica maxime facultate praecelleret eaque summam et aequalium et posterorum laudem consecutus esset: tamen in soluta etiam oratione tantum profecerat, ut non immerito in censum eorum veniret, qui saeculi XVI. exstiterunt Latinitatis auctores. Neque nostrae aetatis iuvenes pigebit, suavissimas Lotichii Secundi epistolas cognovisse. Repetendas igitur curavimus omnes, quotquot exhibet Uffenbachiana sylloge calamo descripta. Adiunximus praeterea paucas Camerarii, Cracovii, Posthii et Fabricii epistolas, quae faciunt ad vitam Lotichii plenius cognoscendam. Ac ne libellus noster sine ulla

prodiret dote, adiecimus vitam dulcissimi poëtae non doctis viris, sed adolescentibus scriptam, quam non ingratham fore multis speramus. Accessit annotatio, qua lectio epistolarum quum expeditior fieret, tum fructuosior. Hanc qualemcumque operam nostram ut eruditi lectores aequi bonique consulant, etiam atque etiam rogamus.

Epistola I.

Petrus Lotichius Secundus Ioachimo Camerario Papenbergensi⁸⁾.

Etsi verebar, ne quid tibi literis meis molestiae afferrem, Clarissime vir, a quo nihil nisi accurate et per otium scriptum legendum est: tamen cum scribendi ad te mihi caussa esset, fretus et humanitate tua et benevolentia, qua me nuper tam amanter complexus es, non dubitavi abs te petere, quod et unice cupio et mirifice exopto. Danieli Stibaro⁹⁾, Equiti Franco, ut notus esse cupiam et commendatus, te iam tum, cum eius literas coram D. Praeceptore Philippo Melancthone ostenderes, perspexisse arbitror. Cum autem tu de eo humanissime mihi receperis¹⁰⁾, oro te atque obsecro, Vir clarissime, ut literas ad Stibarum scriptas cum puero meo¹¹⁾, quem ad vos misi, ad me perferri cures; comites enim nactus per Halam iter facere cogor¹²⁾, alias praesens ipse a te eas efflagitassem. Otio mihi adhuc ad aliquot annos opus est, cuius mihi spes isthic ostenditur. Maius igitur mihi beneficium dare nullum potes, quam si literis me tuis, ad Daniele scriptis, apud quem plurimum vales potesque, notum feceris et cohonestaris¹³⁾: quod ut facias, vehementer etiam atque etiam te oro. Dabo operam, ut apud memorem et gratum beneficium a te positum esse intelligas¹⁴⁾. Mitto tibi Elegiam de Natali meo proxime a me scriptam, quam in fine huius libelli invenies. Eam ut una incultis his cum literis boni consulas, valde te rogo. Bene vale, Vir clarissime et me tibi commendatum habe. Witebergae, XI. Calend. Decembris Anno MDXLIX.

Epistola II.

Idem Eidem.

Mitto ad te, Clarissime vir et patrone observande, libellum carminum meorum¹⁵⁾, quem D. Stibaro inscripsi; non, quod lecturum

hic quicquam te putem, quod ingenium tuum limatum et politum delectare possit, sed ut memoriam me beneficiorum tuorum sanctissime conservare intelligas: quamvis iam diu scribendi officium praetermiserim, quoniam tardissime hinc omnia ad vos perferuntur. Nulla ingenii lumina¹⁶⁾, nullum ornatus florem invenies: omnem enim animi commotionem et alacritatem illam haec tempora nobis eripiunt. Si quid igitur erit, quod doctissimas aures tuas offendat, malitiam horum temporum accusabis¹⁷⁾ et me apud Clariss. virum D. Daniele pro singulari humanitate tua defendes. Si tranquillitas erit, dabo operam, ut proxime elegantiora et paulo maturiora ad vos mittam. Pueri nostri¹⁸⁾ mediocres iam in literis progressus faciunt. Georgius etiam puros et suavissimos versus cudit, quorum aliquando egregium apud te dabit specimen. Spes mea nisi medio in cursu frangatur, D. Danieli abunde satisfaciam. Tu ut commendatum me habeas, valde te rogo. Lutetiae Parisiorum, Nonis Iulii, Anno MDLI.

Epistola III.

Idem Eidem.

Gothae cum essemus ego et Stibari tres una cum Dimaro et Georgio nostro, in puerum tuum bona fortuna incidimus, magnamque ex eius praesentia et sermonibus cepimus voluptatem. Nam et ubi tu esses et quid ageres, nobis significabat et de itinere etiam docebat. Nos iussu D. Stibari, apud quem dies quinque in thermis posuimus, Lipsiam recta contendimus. Nunc te, mi optime atque humanissime vir et praeceptor observande, oro atque obsecro, ut, si fieri poterit, Neopyrgi¹⁹⁾ nobis conveniendi tui facias potestatem, ne Lipsiae te absente rebus impeditis haereamus. Nos ante mensem Galliam reliquimus. Caetera coram. Haec puero summo mane²⁰⁾ admodum festinanti dedi. Ignosce, quaeso, lituris. Salutant te Stibari amanter: D. Praeceptorem officiose salutamus. Gothae, XXII Maii, Anno MDLIV.

Epistola IV.

Idem Eidem.

Ut in Italiam absolvendorum studiorum causa²¹⁾ irem, Clarissime vir et praeceptor observande, honestissime a D. Stibaro dimissus

sum. Qua de re gratias ago tibi, quas debeo, maximas, qui testimonium mihi probitatis in litteris tuis tribueris. Solem mihi videre visus sum novum et totam mundi faciem hilariorem, postquam iis carere molestiis coepi²²⁾, quae antea non obruebant me tantum, verum etiam conficiebant planissime. Nunc otio tantum abundo, quantum semper optavi. Audio Medicos magna cum voluptate, viros doctissimos, et Robortellum²³⁾ historias et Aristotelem interpretantem. Patavii igitur aliquantisper subsistere decrevi. Sed, quicquid egero, faciam te certiore. Paulus Manutius²⁴⁾ Livium nunc et in eum castigationes magna cura excudit²⁵⁾. Oden Poëtriae Sapphus, ab eodem Aldo proxime excusam, si non aliunde nactus es, scribas. Curabo, ut ad vos quam primum perferatur. De Senensibus et rebus Venetis ex hoc Doctore Valentino intelliges, viro honesto et erudito. Alexander quidam Farnesius Card., mirabili celeritate usus, maximam vim omnis generis commeatus in urbem importari fecit. Unde in spem veniunt Senenses, obsidionem tolerari posse diutius. Veneti Genuenses commeatu iuverunt. Qua re effectum est, ut Turcici praefecti omnem importandi frumenti aditum Venetis praecluserint. Carius igitur vendi coeperunt²⁶⁾ omnia hic etiam. Sed haec ex Valentino melius. Coniugem tuam, lectissimam feminam et liberos honestissimos saluta plurimum, meque ut soles ama. Bene Vale. Patavii IV. Non. Ianuarii Anno MDLV.

Epistola V.

Idem Eidem.

Si per valetudinem mihi licuisset, qua longo iam tempore incommoda atque etiam plane infirma usus sum, Clarissime vir, non commissem, ut officium in scribendo meum atque observantiam erga te desiderares. Qua ego ita te colo atque veneror, ut non ad proximos tantum accedam, sed etiam, qui me in eo superet, habeam plane neminem. Etsi autem nondum eram plane mihi restitutus, cum haec scriberem, tamen, cum subvererer, ne aliquam tibi voluntatis commutationem afferret²⁷⁾ diutinum silentium meum, reddendam tibi putavi rationem intermissionis litterarum²⁸⁾, et, ut dixi, officii mei. Cum enim tu primus apud Stibarum in gratia me posueris, ad bonas

artes quasi manu traduxeris, florentem semper videre volueris, nisi ego ad te amandum atque observandum, quasi alterum Stibarum, sensus meos omnes contulero, impius sim atque indignus tot studiis et benefactis tuis necesse est. Sed de his alias. Stibari nostri quid agant, quos in bonis literis magistros habeant, plane ignoro. Ego limacum ritu²⁹⁾ meo mihi in posterum succo victitandum esse video. Itaque Heidelbergam cogito³⁰⁾, si litterae D. Philippi, quibus me Principi Electori commendavit, id, quod iam diu parturiunt, feliciter aliquando pepererint. Sed occupatus hactenus Princeps ac domo etiam abfuit. Agit causam meam Generosus D. Comes ab Hanau, qui neptem Electoris ante biennium matrimonio sibi coniunxit. Sed non ignoro, quantum tuis litteris, ad Erasmus Minguicium scriptis, commodare mihi possis³¹⁾ idque ut facias, quod sine molestia tua fiat, etiam atque etiam abs te peto. Ex innumerabilibus tuis in me beneficiis hoc mihi erit longe gratissimum. Vale. Solitariis, ipso die natali Domini et Servatoris nostri Iesu Christi.

Epistola VI.

Idem Eidem.

Cum Wirzburgum venissem, Clarissime vir, praeceptor observande, et tabellarium, qui ad vos iret, essem nactus, facere non potui, quin brevibus saltem te compellarem³²⁾, ut intelligeres, nominis me tui memoriam summa cum fide conservare. De rebus vestris certior factus sum a D. Tilemanno, qui D. praeceptore³³⁾ ad constituendas apud nos Ecclesias missus est. Sed, Deus bone, non modo nulla Ecclesiae forma constituitur, sed et ea, quam de Scholae reformatione³⁴⁾ spem iam dudum conceperamus, plane nos fallit. Quod nisi multa alia sibi praesidia compararent, litterae eas prorsus viderent esurientes. Magna illa vis pecuniarum, quae undecumque corraditur, iis potissimum praeda est, qui propter opinionem litterarum Principibus cari sunt et commendati; omnia bonarum artium studia, quique iis se dediderunt, nunc non solum negligunt, verum etiam prorsus impediunt atque contemnunt. Princeps noster in Thermis adhuc valetudinem curat³⁵⁾, quo inscio perturbantur omnia. D. Micyllo, qui Graecarum litterarum professor fuit, nemo adhuc successit. Nominati fuerunt,

B

qui vocarentur, D. Horstanus I. U. D. et S. Castalio³⁶), qui Basileae nunc degit, et alius quidam Gallus, qui Argentorati Medicinam exercet. Hi tamen omnes, propterea quod docti sint et eruditionis nomine celebrati, hactenus impetrare nihil potuerunt. Caetera quae apud nos gerantur, non dubito fama ipsa iam diu apud vos esse pervulgata ac trita. Haec scripsi apud amplissimum tuique ac familiae tuae studiosissimum virum, D. Erasmum Neustetter, patronum ac hospitem³⁷) meum. Tu ut pro singulari humanitate tua literis festinanter exaratis³⁸) ignoscas, etiam atque etiam abs te peto. Deus Opt. Max. te cum honestissima coniuge et universa familia conservet incolumem. Bene vale. Wirzeburgi, XXI Iunii, Anno MDLVIII.

Epistola VII.

Petro Lotichio, Abbati Solitariensi, Patruo, Petrus Lotichius Secundus.

Diu iam est, quo litteras non modo a vobis nullas, sed ne rumorem quidem ullum accepi, Patruè carissime, cum tamen ego ad vos de omnibus rebus et frequenter et copiose perscripserim, si modo in illis fides fuit, quibus ad vos eas perferendas dedi. Ego in Monte Pessulano³⁹), celeberrima Medicorum Schola, iam diu vixi, quo nihil studiis meis accidere potuit accommodatius. Quapropter, Sanctissime Antistes, maiorem in modum a te peto, ut pro singulari tua erga me benevolentia pecunias mihi, de quibus proxime scripsi, mittere non graveris, ut, si ex Gallia fortassis abundum mihi sit, honores in facultate Medica⁴⁰) consequi prius possim et cum laude ad vos reverti. Turpissimum enim iudico, expectationem de se concitasse eamque propter pecunias sustinere non posse. Tu et mihi optatius et tibi nostrisque omnibus utilius et honorificentius facere nihil potes. Sed haec hactenus. Summa hic est pax et tranquillitas, nec mare nostrum admodum iam infestum est. Regis summus est in Germanos favor⁴¹), immunitatesque illis summas nullo postulante concessit. Loco autem hoc nihil amoenius, nihil cogitari potest salubrius. Carminum meorum liber secundus Lugduni (ut mihi nunciatum est) excuditur, quem ad vos, ubi accepero, quamprimum mittam. Hyemem nullam habuimus et per menses quinque unicam tantummodo pluviam. Massiliae maximus navium apparatus est, quibus Rex plurimum valet. Sed de

his alias. Ego me tibi, carissime D. Patruē, tuisque precibus commendo. Clarissimum virum, D. Erhardum Crispum Lic. meo nomine salutes. Haec negligenter scripsi, nondum satis ex recenti morbo refectus: Tu igitur ut boni consulas, valde te rogo. Datae in Montepessulano, Idibus Februarii Anno MDLII.

Epistola VIII.

Idem Eidem.

Postquam in Italiam veni, Reverende D. Antistes, Patruē colendissime, nihil prius faciendum mihi putavi, quam te omni mearum de rerum statu facere certiore. Certos tamen homines hactenus habere non potui⁴³): fui enim occupatissimus, ut fieri solet, in rebus meis componendis, cum Patavii mansissem ibique quod superesset hyemis transigere cogitarem. Incidi tandem in hunc Ornatiss. Virum, Adolphum a Glauburg⁴⁴), I.U. Doctorem, cui has litteras ad te perferendas dedi. Est enim vetus mihi cum eius cognato Ioanne a Glauburg necessitudo, qui hic mecum vivit coniunctissime. Studiorum meorum ratio ea est, ut magnam in spem veniam, si per valetudinem licuerit, me expectationem multorum etiam superaturum esse. Alacrior etiam ad studia capessenda nunc sum eoque amplius, quod ea totis illis mensibus quinque, quibus in Germania fui, propter continuas peregrinationes omiseram. Hac etiam de causa factum est, quod autem discessum meum domum, ut constitueram, venire non potui. Timebam enim, ne, si asperior in Alpibus hyemis saevitia ingrueret, a litteris tota illa hyeme abessem. Venetias veni quarto Non. Novembris, ipso die natali meo, postridie Patavium, ubi nunc vivo. D. Danielis⁴⁵), viri Clariss., opera nulla in re mihi defuit. Careo praeterea iis molestiis, quae prius a studiis me avocabant; solus sum solique mihi et meis studiis rectissime inservio. Nunc, quod superest, totum me tibi studiaque mea commendo. Triennium, si potero, in Italia ponam: et omnia malo perpeti, quam ut ipse mihi defuisse videar. Has litteras per nautas Venetias mitto, qui festinabant. Qua de causa fit, ut D. Sigfrido affini suavissimo nihil scribam, neque Christiano fratri. Apud D. Stibarum circa Cal. Ianuarias litteras habebitis de omnibus rebus copiose scriptas. Interea omnes et singulos saluto plurimum.

B *

Sorori carissimae et sororis filio salutem dico⁴⁵). Bene vale, observande D. Patruae et te nobis omnibus quam diutissime conserva incolumem. Patavii, XIX Novembris Anno MDLIV.

Epistola IX.

Idem Eidem.

Mensis iam elapsus est unus⁴⁶), Reverende Antistes, Patruae observande, cum de rerum mearum statu et angustia, qua premor, certiores vos reddidi, sperans fore, ut mature eae vobis litterae transmitterentur. Iam igitur in exspectatione sum quam maxima, neque vereor, quin a Dignit. tua rebus meis prolixè⁴⁷) consultum sit atque prospectum. In Stibaro, viro gravissimo meique amantissimo, omnem spem habebam prope repositam, quo praesidio deiectus in medio peregrinationis meae cursu ad Dignit. tuam confugiam necesse est. Gloriosum erit tibi, Reverende Antistes, atque ad omnem posteritatem hominum sermonibus celebrabitur, tuis auspiciis quasi e gremio tuo prodiisse homines, nullis opibus fultos, quorum monumenta cum doctissimorum hominum in eo genere lucubrationibus⁴⁸) comparari possint. De me nihil tale promittere facile ausim (sum enim meae mihi imbecillitatis conscius), neque tamen hoc scribo, de me dico: sed in maximam spem venio, fore aliquos, qui, nostro exemplo invitati, maiori id cum laude perficiant, quod nos propter temporum iniquitatem non potuimus assequi.

*Hanc ego iam movi palmam: superare nepotes
Concertent, genti cedere dulce meae.*

Sed haec neque temporis huius sunt, neque epistolae. Confido autem, non defuturam aliquando occasionem testificandi animi erga te mei, ut omnes homines intelligant, tot tantaque beneficia in immemorem vel ingratum minime esse collata. Nunc autem consolor me pollicitationibus Dignit. tuae, cuius voluntatem ex Christiani fratris et suavissimi affinis litteris proximis intellexi. Quod si per sumptus id fieri possit, Florentiae etiam hac aestate in Xenodochio publico artis opera exercerem⁴⁹), deinde autumnio sequente ad vos me conferrem. Sed non audeo quicquam amplius a Dignitate tua petere, a

qua omnia maxima multis iam annis mihi tributa sunt. Litteras vestras, quod superest, avidissime exspecto: quas ubi accepero, quid acturus sim, faciam vos certiores. Romam et Neapolim nondum vidi: quas urbes perlustrare constitui, priusquam Italia excedam. Interea Deus Opt. Max. vos omnes conservet incolumes. Salutem plurimam⁶⁰) D. Sigfrido, fratri, sorori carissimae et amicis omnibus. Bononiae XIII. Ianuarii, Anno MDLVI.

Epistola X.

Idem Eidem.

Curam tuam ac sollicitudinem de valetudine mea, Reverende Antistes, Patruae observande, ex litteris, quas Wurtzelius noster attulit, luculenter perspexi ac dolui, meam tibi imbecillitatem moerorem attulisse, cui ego et solatio et voluptati esse debeo et cupio. Nihil a me praetermittitur, quod ad confirmandam valetudinem pertinet. Exercent me quaedam reliquiae medicatae potionis⁶¹), quam in Italia hausi. Sed haec Deo Opt. Max. iam diu commisi. De schola ita est, ut volumus, nec displicebit, opinor, Dignit. tuae ratio, quae a nobis inita est tum de pueris publice, tum etiam de ordinandis privatim instituendis. Consilium de profectione Heidelbergam valde probo et idem mihi dudum in mentem venit. Sed et tempestates fere continuas et fluminum inundationes, tum etiam valetudinis me imbecillitas hactenus deterrent. Quod si commode potero, accingar itineri⁶²) circa Mercurii diem proximum, aut ad summum Iovis: quodsi etiam non potero, faciam Dignit. tuam certiore. Solitariis, III Non. Febr. Anno MDLVII.

Epistola XI.

Eidem Petro Lotichio, Abbati Solitariensi, Patruo, Petrus Lotichius Secundus.

Scripseram ad Dignitatem tuam iam bis, Reverende Antistes, Patruae observande, cum exoptatissimae litterae tuae mihi sunt redditae. Priores litteras per nuncium, forte fortuna⁶³) oblatum, transmissi, alteras per Micylum, cum Hanoviam proficisceretur. Non igitur dubito, quin de statu rerum mearum iam diu omnia habeas explorata. Schola fere nulla est⁶⁴): neque enim aut Doctores, aut discipuli officium suum

faciant. Ego Hippocratis Aphorismos⁵⁵⁾ publice interpretor, idque facturus sum ad Reformationis usque tempus, si modo ulla futura est reformatio⁵⁶⁾. De Melanchthonis adventu magna spes erat, et multorum etiam expectatio, sed Aulæ⁵⁷⁾ consensum impetrare non potuit: nec ipse quidem multum laboravit, cum in his etiam locis opinionum et sententiarum diversitatem metueret seu divinaret potius. De Colloquio magna adhuc spes est⁵⁸⁾. Illustriss. Princeps noster Francofurtum se conferet his diebus proximis ad Conventum Principum. Ecclesiarum status in his regionibus tranquillus est, Deo sit laus, et Theologiae studium mediocre, quantum quidem ad tradenda religionis capita satis sit. Te istic et bene valere et tranquille vivere imprimis opto. Reliqui apud Christianum fratrem litteras meas testimoniales⁵⁹⁾, de quibus superioribus litteris Dignit. tuae scripseram. Eae ut quam primum ad me perferantur, plurimum mea interest. Habetur enim in constitutionibus Scholae, ne quis sine testimonio oblato Professor in Facultate nostra⁶⁰⁾ fieri possit. Vehementer igitur a Dignit. tua peto, ut eas mature ad me perferri curet per hominem diligentem et certum. Nicolaus in officio est, seque Dignit. tuae offert promptum et paratum, quocumque tempore opera sua uti libeat. Existimat tamen, idque recte meo iudicio, melius se aliorum studiis consulere posse, si ipse prius aliquam sibi eruditionis facultatem comparasset. Retinui Wendelinum diutius propter occupationes meas. Princeps enim, cum in Thermis sit, suos secum Medicos abduxit. Proxime Deo volente plura. Bambergius meo consilio Baccalaureus fiet; cui si Dignit. tua aliquos aureos commodabit, optime beneficium collocabit. Ego etiam illi non deero. Spero hominem nobis ornamento fore. Litteras ad D. Philippum et Peucerum⁶¹⁾ scriptas vellem diligenter aurigis commendari. Nollem enim in aliorum manus venire. Deus Opt. Max. Dignit. tuam nobis quam diutissime conservet incolumem. Heydelbergae, XXVII Maji, Anno MDLVII.

Epistola XII.

Petrus Lotichius Secundus Christiano Lotichio Fratri.

Patavium veni ipso die natali meo ibique remansi, cum Valentinus noster Romam pergeret. Ei ad vos redeunti has breves dedi cum annulo, quem is tibi reddet. Annuli tres sunt, invicem sibi

cohaerentes, quos ut meo nomine feras et boni consulas, fraterne te rogo. Ego vere proximo Romam cogito⁶³), et inde Neapolim, ubi hyemem Deo volente transigere decrevi. De rebus meis D. Valentinus certio rem te faciet. Brevior igitur nunc sum, proxime plura. Tu ut ad me et saepe et prolixè scribas, valde te rogo. Puto pecunias a M. Fissero tibi esse transmissas, de qua re exspecto tuas litteras. Bene vale, mi frater, et quibus censebis id gratum fore, meo nomine istic salutem dic. Patavii. IV. Ianuarii Anno MDLV.

Epistola XIII.

Petrus Lotichius Secundus Ioanni Langio, Archiatro Palatino.

Hominis natura, Ioannes Langi, vir Amplissime, moderatam amat quietem, qua alitur et quodam quasi cibo reficitur: cuius quidem otii maximus aut uberrimus est fructus animorum ab honesta delectatione petita relaxatio. Cum itaque in his caloribus iis ego voluptatibus carerem, quibus abundant alii, in hortos interdum suburbanos ex urbe me conferebam, ubi ab omni alia cura et cogitatione solutus ac liber cum veteribus amicis, humanioribus nempe studiis⁶⁴), quibus, aliis occupationibus impeditus, plurimam iamdudum salutem dixeram⁶⁵), in gratiam redibam, idque exemplo potissimum commotus atque incensus tuo. Etsi enim, post tot tantorumque laborum defunctiones⁶⁶) in hac etiam ingravescente iam aetate, propter exquisitam doctrinam, multarum rerum usum ac singularem industriam tuam, nondum abdicata Medicinae opera, occupatissimus esse soleas: tamen, si quando breve requiescendi spatium nactus es, id omne tu cum Musis, quae puerum te aluerunt, suavissime consumis: nec poëtarum solum lectione, quemadmodum virum, elegantissimis litteris expolitum, decet, plurimum delectaris, verum etiam ipse interdum ex te promissum aliquid, quod ad veterum in eo genere laudem ac suavitatem proxime accedat. Mitto igitur ad te Nicrum meum⁶⁷), carmen per se quidem tenue, nec in id a me confectum, quod Illustrissimi Principis divinas laudes, quas mente ac cogitatione melius complectimur, exprimere me posse confiderem: sed ut darem aliquod saltem interea perpetuae meae erga Illustrissimum Principem voluntatis testimonium, donec aliquid per otium excuderem⁶⁷), quod si minus dignitati tanti Principis ac gloriae

responderet, animi tamen mei cupiditatem ac propensionem adaequaret. Quod igitur superest, Langi Clarissime, vehementer etiam atque etiam te rogo, ut hoc observantiae erga te meae pignus boni consulas, meque apud Illustrissimum Principem in gratia ponas, commendatione tua subleves atque autoritate quantum potes tuearis. Vale. Heydelbergae, pridie Cal. Sextil. Anno MDLVII.

Epistola XIV.

Petro Lotichio, Albat Solitariensi, Patruo, Petrus Lotichius Secundus.

Cum Heydelberga avocatus essem ab iis, quibus negare nihil possum, Reverende D. Antistes ac Patruae observande, repperit me adhuc tabellarius ad tria ab urbe milliaria, lectisque litteris gravissimum cepi dolorem. Eo enim sum erga sororem eiusque liberos animo, ut post Deum Opt. Max. nihil illis carius esse mihi possit. Navi iam uti cogor aut curru; equo propter vertiginem commode insidere non possum, ita tamen dabo operam, ut quamprimum Deo volente domum reversus confirmata valetudine ad vos me conferam. Nolo enim, ut soror aegra in viam se det⁶⁸), praesertim quum domi meae familiam non alam⁶⁹), ut commode aegram tractare non possim. Bene vale, Reverende D. Patruae, et brevi adventum meum exspecta. Eberbacchi, XXVII Aprilis, Anno MDLX.

Epistola XV.

Petrus Lotichius Secundus Georgio Cracovio⁷⁰), Illustriss. Principis Augusti, Saxoniae Ducis et Electoris Consiliario.

Litteras tuas V. Calend. Maji datas accepi postridie eius diei luctus et lachrymarum plenas, Ornatissime atque Amplissime Cracovi, cum mane exercendi mei causa extra urbem in hortis deambularem. Ex quibus tantum cepi dolorem, quantum verbis exprimere non possum, prorsus incredibilem. Etsi enim nobis hoc quoque, obscuriore tamen fama, auditum erat, Philippum Melanchthonem pituita tenui ad pulmonem destillante affligi et febricula insuper tentari coepisse, meque et laterum eius infirmitas et imbecillitas virium, nonnihil ut timerem, commoveret: sperabam tamen planeque mihi persuadebam, diligentia atque temperantia, qua in depellendis morbis exactissima

uti consueverat, adiuvante etiā hoc tempore puri ac temperati aëris clementia, valetudinem iam illum recuperasse pristinam, praesertim cum inanis illa rumoris aura celeriter consedisset penitusque evanisset. Hac ego spe cum aliquantulum me sustentarem, ecce! repente alterae multo miserabilius et tristius in eandem rationem conscriptae, quibus certo significabatur, eam febrim, quam lenius iam accedere, aut plane decessisse arbitrabamur, XIII. Calend. Maii finem illi vitae attulisse. Quid tibi ego hic tristem et acerbum omnium bonorum luctum commemorem? Quid dicam, mi Cracovi? Amisisse nos praestantissimum virum summa virtute ac fide, pacis ac concordiae amantissimum, quem omnes externi atque advenae tamquam communem litterarum parentem amabant, colebant, admirabantur, amabitque multo vehementius ac praedicabit, exstincta invidia, omnium seculorum posteritas. Nescio enim, quo pacto comparatum sit, ut, quae in manibus nostris posita sunt bona et oculis quotidie observantur, sensim quasi obrepente satietate, fastidiamus, eorumque nos pertaedeat: ubi vero amissa sunt, animus multo ea requirat ardentius: sicut non minus vere quam eleganter Venusinus noster:

Virtutem incolumem odimus,

Sublatam ex oculis quaerimus invidi⁷¹).

Sed de his ii viderint, quibus in tantis religionis dissidiis ac rerum omnium confusione, doctrinae coelestis et litterarum (sine quibus illa consistere ac dignitatem suam tueri nequit) cura ac propagatio a Deo Opt. Max. commendata est. Elegiam, quam a me petiisti⁷²) ut conscriberem, etsi propter valetudinis meae imbecillitatem neque meditationis bono satis uti, neque in recenti acerbissimoque luctu in Latini sermonis puritatem ac numerorum elegantiam animum, ut par erat, intendere licuit: confeci tamen, cum aliter neque voluntati tuae, neque dolori meo satisfacere possem, eamque ad te, mi Ornātissime Cracovi, mitto, sic tamen, ut aliquid per otium a me elaboratum⁷³) propediem exspectes, quod limato politoque iudicio tuo aliqua ex parte respondeat. Hoc enim unum relictum esse video remedium, quo ipsius defuncti desiderium mitigem atque consoler. Bene vale et Clarissimis viris Ioachimo Camerario ac Caspari Peucero plurimam meo nomine salutem dicito. Datae Heydelbergae, Nonis Maii, Anno MDLX.

Epistola XVI.

*Petrus Lotichius Secundus Paulo Luthero⁷⁴⁾, M. F. Illustriss.
Saxoniae Ducum Medico, Viro Clarissimo.*

Amicitia nostra et studiorum societas facit, Paule Luthere, vir Clarissime, ut te compellem et impetrare ab humanitate tua cupiam, ut carmen hoc in nuptias Illustrissimi Principis Ioannis Guilielmi⁷⁵⁾, Saxoniae Ducis etc. heroicis a me versibus scriptum, sub nomine tuo in manus hominum emitti patiaris. Quod te haud gratum facturum, cum caeterae mihi virtutes tuae facile persuadent, tum etiam, quod non ignorem, te non minus his nostris studiis, quae sibi ab humanitate nomen asciverunt, quam abditarum ac reconditarum rerum doctrina, quae a Philosophis et Medicis tractantur, excellere. Conatus sum maxime veterum familiarum, quae longe lateque disseminatae sunt, genealogiam breviter intexere: ex quibus non tam praecepta quam exempla fortitudinis, constantiae et, quod caput est, pietatis, sine qua infirma est reliquarum omnium rerum gloria, in universam Europam redundarunt. Scribendi porro fiduciam mihi attulit singularis Illustriss. Principum humanitas et egregium in promovendis ornan- disque bonis artibus studium⁷⁶⁾, quas illos, amplissimis propositis praemiis, vel iniquis etiam temporibus, fovisse, omnes mortales norunt, eiusque memoriam nulla umquam temporis oblivio delebit, nulla vetustas ex animis hominum evellet⁷⁷⁾. Quid de Joanne Friderico, heroe plane divino⁷⁸⁾, dicam, qui haeres avitae paternaeque gloriae, nulli umquam fortunae succumbens, altiore semper habuit animum, quam ut iis, qui in hac vita sunt, fluctibus obrui possit. Et decet profecto viros Illustris, quos a Iove, id est, Deo Opt. Max. esse apud Platonem inquit Socrates, litterarum monumentis posteritati commendari: quod etsi ego mihi non sumam⁷⁹⁾, aut ingenio tantum arrogem (abest hoc a natura mea, abest a moribus plurimum), egregiam tamen certe voluntatem affero, et hanc otii oblectationem ut iucundissimam, ita honestissimam semper esse duxi. Etsi vero me initio et conscientia mediocritatis meae plurimum deterreret, et res ipsae, varie ac concise⁸⁰⁾ a scriptoribus non doctissimis illis quidem, sed amantibus patriae viris, tractatae, non solum per se difficultatem afferrent, verum etiam vix ullam sui illustrandi spem relinquerent: malui tamen voluntati

coram, quibus negare nihil possum, obsequi, quam aut nominis mei maiorem deducere rationem⁸⁷⁾, aut ullam colendi officii praetermittere facultatem. Usus autem sum in digerenda historiarum serie consilio et opera D. Michaelis Beutheri Iureconsulti⁸⁸⁾, qui totius antiquitatis, et rerum potissimum Germanicarum, memoriam exacte tenet, multaque in veterum libris vel correctione sanat atque restituit, vel explicatione illustrat. Hoc ta carmen, mi optime atque ornatissime Paule, quod cum tui nominis inscriptione divulgavi, si quando iam Spira a legitimo negotiorum tempore otii aliquid nactus fueris, etsi a maturitate absit quidem longissime, ita tamen leges, sicut in hortis primo vere deambulantes, donec maturitatem suam fructus assequantur, rosamve aut violam decerpere possimus, floribus interea arborum et herbescente plantarum viriditate et incremento oblectare nos solemus. Quod ut facias, meque apud Illustrissimos Principes tuos, sub quorum patre, divino heroe, Ioanne Friderico, adolescens laborem etiam militarem perpassus fui⁸⁹⁾, in gratia ponas, et, si quid in me veri et recti esse putas, commendes, etiam atque etiam a te peto. Vale. Heydelbergae, XV. Cal. Iulii, Anno MDLX.

Epistola XVII.

Georgius Cracovius Ioachimo Camerario Papenbergensi.

Nimis verum est Homericum illud⁹⁰⁾: Νῆσόν γ' οὕτως ἔστι διὸς μεγάλῃ ἀλῆσθαι, vir Clarissime. Scis, Petrum Lotichium Secundum, ingenio, doctrina et modestia singulari praeditum, in Italia aliquando venenum hausisse, et aliquoties postea lethaliter decubuisse⁹¹⁾. Is morbus Cal. Novembris proximis valetudinem illius iterum affligere coepit, cum pridie eius diei Heydelbergae amanter familiariterque versatus esset. Tantus autem ardentissimae febris aestus fuit, ut δεινὰ συμπτώματα⁹²⁾ per biduum in eo observata esse quidam perhibeant. Ἐν κρίσει δὲ νόσον, rationis prorsus compos edita pia confessione placide VII. die Novembris vitam finivit. Lugubris profecto Reipublicae et Ecclesiae casus propter excellentem ingenii ipsius memoriaeque vim ac condendi seu potius fundendi carminis usum. Tam cultis enim et bonis ingeniis Ecclesias orbari nostras in hac postrema mundi senecta⁹³⁾, ominosum duco. Quae hic aguntur credo te ex aliis cognoscere: me scribere piget. Coram

C •

autem sane exponere vellem quaedam, quae litteris committenda non sunt. Spirae, XV. Novembris, Anno MDLX.

Epistola XVIII.

Ioachimus Camerarius Georgio Cracovio.

Acerbum nuncium attulerunt litterae tuae, Vir Clarissime, neque mihi solum, sed omnibus, quibus legendas eas dedi, mihi tamen imprimis. Non modo autem multis iam annis notus mihi fuit Petrus Lotichius, de cuius obitu scripsisti, verum ad elaborandum et perficiendum quoque decus istud ingenii et doctrinae non nihil allatum est adiumenti opera studii mei. Nam meis aliquando ille primum litteris, deinde sermonibus, conciliatus praestantissimo viro D. Stibaro, et huius est benignitatem erga se expertus et profectus ad externos cum propinquis ipsius, summa diligentia ac fide eos instituit et praeceptis optimis et salutaribus monitis ad Reipublicae munera praeparare omnibus viribus contendit. Itaque et ad honestatis virtutisque amorem laudisque verae cupiditatem convertere voluntates illorum, et bonarum litterarum artiumque doctrina excolere animos numquam destitit. Erat Danieli Stibaro hoc maxime curae, ut patriae laboranti subveniretur et ruinae illius quasi fulcirentur educatione liberali eorum, qui aliis recte praeesse possent. In qua parte desiderari respectum suum ad publicam necessitatem⁸⁸⁾ cum minime pateretur, quantum suis impenderit, non est obscurum. De Lotichio quidem apud illum prudentia excellentem et simplicis veritatis amicum, non opus multis verbis, praesertim a me, et satis fuit dixisse quid esset, quo modo se Maecenati commendatum Horatius scripsit⁸⁹⁾. Estque constantissimo favore Stibarus Lotichium, relatum in amicorum suorum numerum, complexus. Et Lotichius nomen Stibari ita celebravit, ut non tam beneficiis istam gratiam esse relatum, quam admiratione eximiae virtutis illa, quae de eo scripsit, expressa appareat. Quae quidem sunt eiusmodi, ut et auctori famam praeclarissimam facultatis Musicae concilient et de Stibari pietate, magnitudine animi, consiliorum et actionum honestate, testimonia exstent illustrissima, ut uterque veris ornamentis afficiatur, optimis et eruditissimis scriptis illis: quae legentur, donec erit apud nos qualiscunque litterarum Latinarum usus et cultus ingenii, et odium,

vel saltem fuga barbariae. Reliquerat Stibarus ut successorem in caeteram praestantiam suam, ita benevolentiae erga Lotichium quasi heredem⁸⁹⁾, reverendae dignitatis et excellentiae D. Erasmus Neustetter, cognomento Stürmer. Qui animo suo habuit clarissimum Lotichium et sensit erga se promptissimum studium ipsius. Quem nunc in moerore et luctu esse scio, spoliatum tali amico et extincto splendore isto et hac spe commoditatum maximarum erepta patriae. At ille sibi iam etiam vivere et in suas laudes crescere coeperat. Vides, quid addere congruat: o spes fallaces⁹¹⁾! Et quae παθαινόμενοι⁹²⁾ similia exclamant in dolore. Sed (non enim commovendus dolor est, quem maxime reprimi posse vellemus) ista omittantur. Ac iam etiam minus affligit hic casus, ut cruciatu corporis maiori hebetari solet minor. Cognovimus enim, his diebus Clariss. virum et summum nostrum D. Georgium Sabinum⁹³⁾ vix reversum domum, migrasse ex hac vita. Convenimus eum VII. Id. Novembris, cum hac transiret, revertens ex Italia, et febre quartana laborans. Cuius παροξύσμῳ diem unum impendere fuit coactus, quo hic decubuit. Mediocris tum spes erat omnium de vita illius, et ipse in morbi molestia, cum de itineris sui fortuna, tum de rebus Italicis multa narrabat et familiariter cum amicis sic confabulabatur, ut nemo tam celerem exitum metueret. Non possum autem non vehementissime perturbari Sabini morte, quod et a prima pueritia indolem ipsius adamaverim, et annis pluribus triginta, quamvis disiuncti locis essemus, singularis amicitiae inter nos necessitudo fuerit, et quia intelligo, quantum boni cum ipso discesserit, quae studiorum adminicula, quae reipublicae commoda, quae aetatis nostrae celebritas et (quod maxima cum tristitia, dum subit patriae pietatis imago, scribimus) respiciens relictam ab ipso δόμον ἡμετέλῃ καὶ ὄργανὰ τέχνα⁹⁴⁾. Sed huic vulneri remedium adhibebunt, qui possunt et debent. Nos, si non magnopere doleremus, essemus ferrei⁹⁵⁾. Et tamen haec etiam ferenda sunt adversa, perpessis graviora. Quid enim vel publice, vel privatim lamentabilius, aut omnino tristius accidere nobis potuit decessione hinc Philippi Melanchthonis? Ad quam mentionem scilicet quasi caput obvolvendum⁹⁶⁾, et reprimenda est oratio, quae deplorando tanto malo nulla par aut aequalis esse possit. Tantum autem abest, ut bonis desiderium illius temporis leniat, ut maius etiam⁹⁷⁾ in dies existat, iis rebus atque negotiis sese ostenden-

tibus et offerentibus quibus consuli et quae explicari aeternus Deus si vellet, Philippi Melanethonis praesentiam et administrationem nobis non subtrahisset.

*Θύνακα νῦν φερόμεσθα καθ' ἰστίαν λευκὰ βαλόντες,
Μηλίσ ἐκ πόντου νύκτωρ διὰ θνοφερῆν.*

Et quae praeterea sunt in Theognideis⁹⁸). His etiam amicis nostris, quos modo deploramus, quamvis alter iuvenis desierit in terris, alter incipiens senescere (attigit enim Sabinus quinquagesimum et secundum annum), haud scio, an hoc fuerit acerbissimum in sua sibi vita allatum mortis illius nuncium, qui fuisset alterius socer utriusque magister, auxiliator, patronus, et perfugium omnium. Sed, quoniam necessario haec calamitas est perpetienda, ut aliquid esse in nobis probemus, quod rectum et laudabile existimatur, toleremus tam tristem eventum animo et resistamus aegritudini. Neque ego de his plura nunc scribam. De caeteris autem expeto sane colloquium tuum, atque optate te scio, ut hoc maturetur. Vale. Lipsiae, V. Id. Decembris, Anno MDLX.

Epistola XIX.

Érasmo Neustetter, Cognomento Stürmer, Equiti Franco, Ioannes Posthius Germersheimius⁹⁹).

Cum nulla maior animorum coniunctio esse possit, quam quae inter te et Doctorem P. Lotichium Secundum, summo virum ingenio et omni virtutis gloria florentem, longo iam tempore fuit, Amplissime D. Erasme, non dubito, subitum illius ex rebus humanis excessum¹⁰⁰) magno te et luctu et desiderio affecisse. Ita enim fieri solet, ut quos viros constanter amavimus, post obitum quoque eorum amissionem molestius feramus, quam videatur hominis in rebus fortuitis multum exercitata ratio postulare, eo quod amor graves habeat aduleos, qui bonis viris in amicorum recordatione iustum pariunt dolorem. Nobis certe, quicumque eius familiaritate usi sumus per hoc triennium, quo Academiae nostrae tam fidelitate in docendo, quam in capiendis de rebus publicis consiliis dexteritate¹⁰¹), utiliter et summa cum laude praefuit, quantum tristitiae et doloris eius insperata mors attulerit, dici vix potest. Illud tamen assiduae doctorum hominum querelae, et haec quoque amicorum lachrymae testantur: quibus nunc ablatum

nobis, in eam vitam, quae multo melior est multoque praestantior, translatum; partim laude et pia commemoratione, partim lamentis et complorationibus prosequuntur: non quod quietem illi et aeternae lucis fruitionem¹⁰²⁾ invident, sed quod, sempublicam litterariam tam raro ornameto esse privatam, graviter molesteque ferant. Ad me quod attinet, qui illum non modo ut candidum praeceptorem, sed etiam ut carum parentem complexus sum, aovi equidem quam meae in carmine vires sint exiguae, verebarque diu de morte tanti viri (quem pro meritis nec ipsa Musa satis laudaret) quicquam edere, ne meus erga defunctam amor causa pudoris existeret. Cum tamen hunc timorem plerique amicorum neque dignum esse, qui pietatis opus impediret, et omni ratione carere, dicerent: pauca carmina¹⁰³⁾, quae non mihi dulces Camoenae dictarunt, sed iustus dolor extorsit, doctissimis aliorum virorum scriptis coniunxi et sub auspicio nominis tui edi publice curavi. Ea etsi non prudentiae meae iudicium, tamen significationem optimae voluntatis ad te deferre poterunt. Quod superest, rogo, ut, quem tua olim amicitia dignatus es, illius quoque postremas, ab amicis solutas exequias honorifice tuearis et me, ut reliquos virtutis et litterarum studiosos, tuo favore et benevolentia complectaris. Vale. Heydelbergae, Cal. Decembris Anno MDLX.

Epistola XX.

Georgius Fabricius Chemnicensis¹⁰⁴⁾ Iacobo Strasburgo affini.

Paucos ante menses quam e vita discessit Lotichius, ad ipsum scripsi, adhortatus, ut Iacobi Micylli, viri elegantissimi, opera poetica colligeret. Id nunc in Lotichii libellis te facere vehementer laetor et ut idem studiose facias, etiam atque etiam rogo. Quicquid in mea bibliotheca est, id nunc litteris hisce inclusum accipis. Fuit in Lotichio ingenium excellens et morum suavitas singularis, quae tum mihi perspecta sunt, cum ipsum et Ioannem Hagium in tuam patriam hinc prosecutus sum animi causa: cum inspicere metalla cuperet, in puteos ipse descendit ac cuniculos perreptavit et machinas sub terris admiratus est. Dicebat, se navigasse in mari Ligustico¹⁰⁵⁾ ac nunc inspexisse metalla Misnensia: quas res habiturus esset tota vita, quibus se iactare vellet. Eius versibus simplicitate, nitore, puritate, nullius

e nostris hominibus legi similes, bellae et suaves sunt Elegiae, sed in Eclogis ipse se superavit. Nisi Bononiense toxicum¹⁰⁶), quod alteri appositum fuerat, insciens gustavisset, diutius potuissemus eius divino ingenio et studiis frui ac sine dubio aut Philosophicum, aut Medicum tractasset argumentum, post has florentis adolescentiae exercitationes. Sed nunc in Academia coelesti canit filio Dei, Redemptori suo et nos eum secuturos exspectat. Morbum tuum fer aequo animo, invidorum vero morsus prorsus invicto. Quem Deus ornat et iuvat, huic incommodare potest nemo. Noli putare autem, Diabolum segnem esse¹⁰⁷) aut desidem, qui ansam habet vexandi te et in munere scholastico et in recenti coniugio. Sed quid ille potest contritus, victus, exspoliatus, catenis traditus, cum habeamus ad dexteram Dei patronum, omnipotentem Dominum et fratrem nostrum, Iesum Christum? Conclude igitur, ut scripsi ad te antea.

Non turbet ardentes preces

Ignava diffidentia!

Vale feliciter. Misena, e Ludo illustri¹⁰⁸), Calendis Augusti,
Anno MDLXI.

Vita Petri Lotichii Secundi breviter narrata.

Petrus Lotichius (Loticius, Germanice Lotz), cognomine *Secundus*, natus est a. 1528 postridie Cal. Novembr. in oppido Franconiae non procul Hanovia sito, Saalmünster. Ibi patruus Petrus Lotichius, vir non minus pietatis omnisque virtutis quam accuratae eruditionis laude florens, praefectus erat monasterio Solitariensi (Einsiedeln), a Carolo Magno olim condito. Huius viri opera et studio primum illa in regione suscepta et propagata sunt sacra per Lutherum paullo ante instaurata atque emendata. Ab hoc ut distingueretur Lotichius patruelis, cognomentum ascivit Secundi. Parentes habuit non lauta in re constitutos: quae ad necessarios vitae usus opus erant, manuum opera agrorumque cultura sibi comparabant. At quamvis simplices essent agricolae, prudenter tamen ac mature consulebant filiorum ingeniis probe conformandis. Namque patruo Petro Lotichio, quem diximus, eximio magistro ubi literarum initia perceperunt, missi sunt Francofurtum ad Moenum, ubi tum sub faustis elegantissimi et doctissimi Iacobi Micylli auspiciis schola urbana florebat. Frater natu minor, Christianus, haud absurdo ingenio praeditus, non diu superstes fuit Petro Secundo: minimus autem natu, Georgius, egregiae puer indolis, praematura morte absumptus obiit. Gymnasii Francofurtani spatia singulari cum laude emensus, quum annum sextum decimum vix complevisset, Petrus Lotichius migravit Marburgum ibique civibus academicis ascriptus est. De omni liberali institutione et disciplina, qua postea admodum eminuit, adolescentis Lotichii praeclare meritis est, praeter Iacobum Micillum, quo auctore Graeca praecipue studia excitata sunt et mirabiliter aucta, Ioannes Pedianeus Rhetus, postea Ingolstadiensis academiae professor, et oratoria et poëtica facultate in paucis praecellens, qui complures per annos hospitio antistitis Solitariensis Lotichii utebatur, et latentes ingenii igniculos, quos in puero Lotichio perspexerat, fovere omnibus modis studebat. Marburgum venerat eodem tempore simili ingenio praeditus et magna morum adeoque annorum similitudine commendatus, Ioannes Hagius, et ipse Francus, quicum mox ita coniunctus degebat Lotichius, ut nihil supra: hinc primus et intimus eius vocitatus est amicus, qui vivum poëtam constantissime diligeret et mortuum posteritati commendaret. In secessu maxime ruris nemorumque vicinorum suavissime et Musis et sibi vivebant. Otio literario in philosophiae potissimum et poëticae oratoriaeque artis studio utilissime posito, ambo adolescentes, Saxonicarum academicarum fama invitati, primum Lipsiam profecti sunt, ubi Ioachimo Camerario, doctori ingeniosissimo atque humanissimo, praeter ceteros operam dabant; deinde

Vitembergam Melanchthonis imprimis cognoscendi audiendique causa adierunt. Eodem tempore iucundissimam iunxerunt notitiam cum clarissimo Misnensis scholae Rectore, Georgio Fabricio, quo non habuit haec Musarum sedes maius lumen atque ornamentum: a quo viro tam benigno sunt excepti, ut tridui, quod cum eo consumpserant, memoriam numquam postea deponerent. At brevi post, a. 1546, quum Carolus V. infesta intulisset arma Saxoniae principi, Ioanni Friderico et Philippo, Hassiae Landgravio, qui acerrimi erant evangelicae doctrinae propugnatores ac vindices, terrore commoti una cum Melanchthone plerique studiosi iuvenes Vitemberga discesserunt et primum Magdeburgum, deinde tutiora loca petierunt. At Lotichius religionis et patriae tuendae amore accensus, mansuetiorum Musarum studiis intermissis Mavortia castra secutus est habuitque aliquot amicorum suorum socios comitesque. Brevis perfunctus belli laboribus et honesta missione accepta, a. 1548 concessit Erfurtum, urbem tum nobilem atque eruditissimis hominibus liberalissimisque studiis affluentem, ubi suavissima cum sodalibus, quos expertus erat fideles, consuetudine belli molestias compensavit, veteresque artes cupide recolere coepit. Melanchthone autem Vitembergam reverso, mox eodem rediit Lotichius et magistro ingenii excellentiam, praecipue singularem poetice facultatem, progressus in philosophia, honestatem virtutemque ita probavit, ut non modo discipulum haberet in deliciis et amoribus suis, sed aliis etiam, quotiescumque data est opportunitas, diligentissima commendaret.

Revocatus deinde domum a patruo, Solitariensi abbate, corpus hiberno et molestissimo itinere misere affectum refecit atque confirmavit. A Ioachimo Camerario quum accepisset literas, quibus maiorem in modum commendabatur viro nobilissimo et liberalissimo, Danieli Stibaro, Equiti Franco, qui erat ex ordine Canonicorum Wirceburgensium, valetudine satis firmata ad celeberrimam Franconiae urbem pervenit et admodum hospitaliter exceptus est ab eo, cuius gratia et opibus mirifice postea iuvabantur studia Lotichiana. Stibarus, mox perspecto iuvenis ingenio, doctrinae elegantia morumque facilitate et amabilitate, praeposuit cum gentilibus agnatis magistrum et in itinere, quod per Galliam ingressuri erant, ducem ac moderatorem. Prius autem quam Stibari adolescentes in viam se commiserunt, solus Lotichius in Galliam profectus perlustravit partem huius terrae: deinde in Germaniam redux una cum mercatoribus Gallis, qui Francofurtum ad mercaturam venerant, constitutam peregrinationem susceperunt. Mirum vero accidit, ut Lotichius, repente studiorum genere mutato, animum appelleret ad artem medicam discendam, in qua non ita multo post tantum profecit, ut paucis annis interiectis publice eam neque sine laude profiteri posset. Iam ne suis in studiis retardaretur cura, moderatione et institutione Stibarorum, socium ascribit, qui hypodidascali vices sustineret, Georgium Vischerum, Argentinessem. Primum adierunt Lutetiam Parisiorum, in qua urbe et multas res cognitu dignas visabant et doctissimos homines, philosophos, oratores, iurisconsultos, medicos audiebant. Inde in clarissimam meridionalis Galliae urbem, quae antiquo nomine Mons Pessulanus appellatur, hodie Montpellier, discesserunt. Vicina haec urbi loca et amoenitate et

varietate Germanorum animos suavissime affecerunt atque omne tempus iucundissime ibi consumpserunt. Inde alias in partes Gallicarum provinciarum excurrerant et animos pariter atque oculos novarum et admirandarum rerum contemplatione pascebant. Longius progredi et Pyrenaeos saltus traicere Hispaniamque intrare cupientibus non data est propter metum hostilium, quae imminebant, proficiscendi potestas. Quadriennio prope in Gallia exacto, Lotichius cum iis, quorum studiis et moribus regendis praefectus erat, in Germaniam reversus non sine acerbo dolore vidit, quas clades et hominum et urbium et agrorum intulerit miserandae patriae belli furor. Longe autem acerbissimum accidit ipsi, quod valetudinem Dan. Stibari gravissime afflictam animadverteret, quippe qui belli discrimina fortissime quidem, sed non sine damno subisset. Talis quum esset Franconiae status, Lotichius, ut tandem medicinam accuratius disceret, Italicas urbes medicorum fama nobilitatas adire constituit. In hanc amoenissimam terram ante quam transiret, in Saxoniam profectus est comitantibus aliquot nobilibus discipulis, ut longo spatio interposito salutarer venerandos magistros, Ioach. Camerarium et Phil. Melancthonem; quos viros de se optime meritos ad extremum usque diem summa prosecutus est pietate. Adiuncto deinde sibi et itineris et studiorum socio Ioanne Hagio, de quo ante dictum est, pervenit a. 1555 in exoptissimam Italiam, cuius urbes ut Venetias, Veronam, Patavium, Bononiam et vetera artium literarumque monumenta non sine magna voluptate spectabat atque avide investigabat. Praeterea mitissimam aëris temperiem, coeli clementiam, locorum amoenitatem mirifice iuvenum animi capiebantur ac detinebantur summorum in omni genere studiorum hominum, qui et olim hac in terra vixerant, et tum eruditionis exquisitae et subtilis laude florebant. Accessit Italicorum amabilis quaedam comitas, humanitas, facilitas morumque elegantia, quibus bonis egregie placebant exteris per ipsorum urbes peregrinantibus.

Ita dum studiose Lotichius usus est opportunitatibus discendi animumque veri pulchrique amantem alendi atque exhilarandi, ecce optimo homini incidit malum, quod non ipsi, sed alii paratum erat. In contubernio ipsius Bononiensi habitabat una Monacensis iuvenis, qui foris amores quaerebat. Aegre hoc ferens hospita, quae amoris stimulis agitabatur, temperabat illi *πικρόν*, poculum amatorium sive medicamentum amatorium, quo animum hominis sibi conciliaret. Quam rem diligenter Hagius ita exposuit: „*Errore infelici Lotichius imprudens iure sibi apposito bono et utili, quod pinguius id esset, fastidito ac commutato cum iure intoxicato nobilis Bavari sodalis, quod erat macrius: bucellam iuri pestifero ut assolebat immergens proicere cani, quem tum habebat, Gallico rufo, ad mensam praestolanti suo, qui in rabiem continuo verti, in parietem ruens. Id nondum advertens bonus Lotichius sorbere ipse quoque pergere: dictum factum, vim ille veneni intra praecordia sentiens atque animo linquens in terram de sella labascere, mox tantum non furens in continenti ad conclave volare, arma arripere impetu ac manu violenta in socium territum profugientem innocuum rerumque ignarum ferri, insidias falso ab ipso vitae suae parari ratus. Postmodum non plane tamen sui compos suive oblitus ac salutis suae*

negligens protinus oleum olivarum haurire affatim large, inde stomachi fibris laxatis hausti toxici partem remove; hinc curam necessariam reliquam corpori intoxicato ut medicus patiens admove. Hinc ille in acutam febrim malignam incidere ac laborare cum periculo graviter. Ex quo morbo ubi medica et ope et opera colligere ipse sese post coepit et habere meliuscule, tum illi decidere capitis pili, digitorum ungues, totus aliquatenus mutari corporis habitus, exasperari quoque nonnihil animi mores et vultus, quibus antea nihil erat placidius.“ Atque huius quidem medicatae potionis vim noxiam Lotichius per totam deinde vitam sensit adeoque mentis subinde alienationem cum febris coniunctam ostendit. Non ita multo post lacrimabilem cladem, quam Bononiae expertus erat, acerbus optimo iuveni commotus est dolor obitu Danielis Stibari, cuius munificentia iter Italicum adhuc fecerat. Studiorum curriculo decurso et doctoris medicinae honoribus et ornamentis magna cum laude acceptis et consilio, quod prius animo agitarat, Romae visendae abiecto, nulla interposita mora in Germaniam redire properavit. Suis domi salutatis contendit Wirceburgum, ubi illo ipso tempore per insidias sceleratorum hominum sublatus erat urbis illius praesul, Melchior Zobellus, homo Lotichio in paucis carus, quicum et studia prius coluerat et contra Carolum V. militarat. Guilelmo Grumbachio, equite Franco, duce et antesignano coniurati Zobellum, tum episcopum Herbipolitanum, subito ante urbem infestis armis trucidarant. Quam caedem deinde Lotichius diserta narratione persecutus est. In urbe Herbipolitana hominem, multis et ingenii et animi laudibus ac virtutibus clarum quum alii viri nobiles et Lotichii studiosi, tum novus episcopus Fridericus, et Erasmus Neustetter, cognomine Stürmer, quo familiarissime usus erat in peregrinatione Gallica, honorifice retinere studuerunt.

Verum a. 1557 et Lotichiani nominis fama latius per Germaniam manante, et Melanchthonis auctoritate et commendatione accedente, luculentis conditionibus propositis ab Ottone Henrico, principe Palatino, invitatus est Heidelbergam, ut medicam artem potissimum doceret atque tractaret. Quamquam eodem tempore eiusdem generis provincia et cathedra ipsi oblata est in academia Marburgensi, ubi primum disciplinas graviores colere coeperat, tamen praeoptavit Heidelbergensem stationem sequi, praesertim quum in eamdem academiam prius vocatus esset magister sibi dilectissimus, Iacobus Micyllus, quicum denuo vivere et doctis studiis operari longe iucundissimum suavissimumque sodalitium fore iudicabat.

At eheu! non contigit ingeniosissimo et elegantissimo viro munus tantopere sibi expetitum et praeter cetera gratum diu administrare. Nam valetudine infirma quum aliquoties esset tentatus et affectus, tertio iam anno vitae Heidelbergensis in-eunte auctumno incidit in febrim acutam et malignam, qua cum delirio quodam mentis magis magisque ingravescente, die 7. m. Novbr. triduo post diem natalem a. 1560 placide animam exspiravit. Eodem anno obierunt praeceptores, quos summa pietate prosequabatur Lotichius: Iacobus Micyllus, cuius ossa eodem in loco, in templo sacro

Sti. Petri; cubabant, et Philippus Melanchthon, qui vita praeclare acta defunctus est d. 19. m. Aprilis. Neque elegantis ingenii poetam, Georgium Sabinum, Lotichii aequalem et aemulum haud contemnendum Parcae hoc anno amplius superesse voluerunt.

De externa forma habituque corporis Lotichiani diligenter Ioa. Hagius, qui familiariter cum Lotichio vixerat, ita narravit: „*Fuit Lotichius statura honesta virili, in mediocritate consistente, non modum excedente nec deficiente, corporis habitu non gracili, non obeso, sed medio, membrorum corporis decenti compositione et forma bona, omnium partium corporis soliditate firma laboribus perferendis apta, totum corpus ut εὐκροσία bona, sic valetudine etiam praeditum robusta et bona. Capitis figura concinne rotunda proportionem reliquo corpori pulchre respondens, si in ullo alio animadversa. Capitis pilus subniger, subcrispus, non mollis, modice pressae nares, aures contractae magis quam expansae asinorum instar. Fusci oculi suaves, non vagi, pudorem ingenium ac modestiam pulchram prae se ferentes, frons exporrecta, hilaris, semper eadem, ut Socratis, vultus modestus, tacitus, compositus, non austerus, sed magis subridenti similis, gravis, faciei color ut reliqui corporis, non albus, sed venuste fuscus, barba decens virilis, mediocriter densa, nigricans. Pectus torosum, modice ut reliquum corpus hispidum, manus validae, lacertosae, ad decertandum ferrumque stringendum perhabiles atque agiles, in corpore toto denique ut succus superfluus nullus, sic nihil iners, pigrum, lentum, segne. Sensus ad summum vegeti, acres atque alacres, actiones omnes promptae, celeres, expeditae. Animus, qui istud quasi domicilium incoheret aptum ac temperatum, impiger, magnus, excelsus, ad omnem impetum fortunae prope invictus, modestus tamen iuxta ac mire humilis, submissus, aequus, temperatus, ad capessenda iussa rationis rectae summe attentus et prudens.*“

Lotichium immatura morte interceptum certatim luxerunt non solum cognati et amici, sed omnes, qui aut studiorum vinculo cum ipso iuncti copulatique erant, aut ingenii doctrinaeque elegantis, qua floruerat, praestantiam admirabantur. Testantur luctum illum non pauca, quae obitum desideratissimi capitis deplorabant, et Latina et Graeca carmina aliaeque summae pietatis significationes. Ex his monumentis unum infra repetere iuvat, elegiam a Georgio Cracovio iureconsulto, Lotichii studiosissimo, scriptam.

Lotichius quum in ipso aetatis flore exstinctus esset, praeter Latina poemata typis descripta reliquit libros nullos: largam tamen paraverat materiam, quae quinque voluminibus maximae formae ipsius auctoris manu conscripta asservatur in bibliotheca publica Hamburgensi. Praeter silvam observationum, quae ad medicinam, physicam et philosophiam spectant, insunt copiosissimi commentarii, quibus Petronius illustratur. Primam carminum juvenilium editionem ipse Lotichius, dum in Gallia peregrinabatur, Parisiis ex officina Vascosani emisit a. 1551, quum vicesimum secundum annum vix excessisset, eamque dedicavit Dan. Stibaro, ut narratur Epist. secunda ad Camerarium data. Qua prima editione continetur liber primus decem elegias exhibens et liber

primus carminum. Alter poematum liber prodit anno insequente Lugduni Batavorum (vid. Epist. ad patrum Solitariensem missam). Post obitum Lotichii Ioach. Camerarius, multis exhortantibus, Lipsiae apud Ernestum Voegelinum, clarum illius temporis typographum, literarum formulis describi curavit; cfr. Camerar. Epp. lib. 5. p. 439. sq. et Epist. Camer. ad Erasm. Neustetterum ab Hagio praemiss. edit. Poëmat. Lotich.

Postea aliae Lipsienses secutae sunt editiones poematum Lotichianorum, quibus plenior et vita vatis elegantissimi auctam curavit Ioannes Hagius, medicus et philosophus eruditissimus, de quo ante iam facta est mentio, Lipsiae a. 1609. Verum his antiquis aliisque vulgatis editionibus multo et locupletiore et emendatiore et ornatiore paravit et perfecit Petrus Burmannus Secundus Amstelodami a. 1754. 2 Voll. formae quartariae. Quae quidem editio praeter poemata omnia annotationibus doctis illustrata continet Lotichii narrationem de caede Melch. Zobelli Episcopi Herbipolensis, epistolas partim ab ipso Lotichio, partim ab aliis hominibus doctis ad Lotichium scriptas et vitam a diversis auctoribus narratam. Quibus accedunt adoptivorum libri tres et virorum doctorum elogia et testimonia de Lotichio Secundo. Haec cuncta ex codice Ms. a Ioa. Petro Lotichio ad novam editionem adornata et collata prima Parisina ac Voegelina recensuit Batavus editor. Qui peritus atque elegans non minus veterum quam recentiorum poetarum iudex tantum tribuit Germanici vatis versibus, ut eos denuo et castigatiores et explanatiores emittere operae pretium esse duceret. Neque pigebit talis viri de Lotichio iudicium cognoscere. Ita enim praefat. p. 3. iudicium et censuram de poeta nostro fecit: *Sola certe Germania in hoc uno, quem publicae nunc exponimus luci, poeta habuit, quo caput hac in parte merito efferat, quemque ceteris aliarum gentium principibus poetis aut conferat aut anteponat. Erat ea tunc seculi felicitas, ut gloriari posset duobus maximis, et non nisi cum doctrina ipsa morituris viris, Philippo Melancthone et Ioachimo Camerario, quos unicos omnis eruditionis magistros et communis patriae praeceptores tota venerabatur Germania et ex quorum institutione ac disciplina non nisi meri heroes, uberrimo istius aevi proventu, prodierunt; ita ut quisque in hanc vel illam doctrinae partem inclinante naturae genio ferebatur. Inter eorum discipulos vel aetatis consortes qui ex poetici studii cultura famam immortalem consecuti sunt, eminuerunt praesertim Eobanus Hessus, Georgius Sabinus, Ioannes Bocerius, Georgius Fabricius, Iacobus Micellus, Ioannes Stigelius, Ioannes Fabricius Montanus, et his omnibus maior Petrus Lotichius Secundus, qui a natura ad poesin factus, suavitate et elegantia carminum, numerorum dulcedine ac concinnitate, admirabili et fere invidendo nativae simplicitatis cultu, sermonis puritate, venae ubertate ac copia, compositionis dexteritate et praesertim artificiosissima veterum poetarum imitatione, sive in Elegiis ad inexhaustam Ovidiani ingenii fertilitatem se componat, vel candidum Tibulli nitorem effingat, sive ad Propertianam eruditionem se conferat, vel Catulli veneres in hendecasyllabis exprimat, aut denique Virgilianam in Eclogis simplicitatem gravitate mixtam aemuletur, communi omnium consensu Poetarum Germanorum et aliarum*

forte nationum poëta primus et princeps appellari meruit. Hanc enim laudem prae ceteris consecutus est Lotichius maxime per felicissimam et paucis concessam optimorum e veteribus imitationem, quorum diversas dotes ac virtutes dexterrima artificii variatione ita semper miscuit ac temperavit, ut difficile dictu sit, quemnam ex poëtis, qui supersunt, Elegiacis antiquis sibi praecipue exprimendum proposuerit.“

Atque prius iam Ioach. Camerarius (in epist. ad Erasm. Neustetterum data) de Lotichii facultate poëtica scripserat: „*Fuit autem Petrus Lotichius talis poëta, qualem sua aetas et nostra natio alterum non tulit. Hoc a me pronunciatum affirmare, in quam ab aliquibus partem accipiatur, non vereor. Habuerunt superiora tempora Eobanum, cum quo a prima adolescentia mea familiarissime vixi et quem in suo genere regnasse docti fatentur. Huius aetati et famae supparem nuper amisimus clarissimum virum Georgium Sabinum, cuius et facilem et prudentem et politam Musam Italia quoque est admirata. Multi autem nunc etiam declarant egregiis operibus et scriptis hac in parte ingenii et studii sui efficacitatem. Sed et Eobanus Hessus et Sabinus si viverent, cum omnia in Lotichii scriptis magnopere probarent, tum elegantia et suavitate atque exprimendi vetustatis similitudinem contentione se ab hoc alicubi superari non negarent.*“

At licet Lotichius in poëtico scribendi genere, ad quod ab ipsa natura natus factusque esse videbatur, maxime excelleret, tamen nec solutam orationem neglexerat aut contempserat. Quapropter non immerito talium rerum idonei arbitri censuerunt, eum ad Tullianam dicendi consuetudinem haud infeliciter se composuisse. Nec dubitavit Burmannus (praef. p. 28) ita iudicare: „*Narratio de caede Melch. Zobelli et epistolae demonstrant auctoris stylum lege metri solutum, penitus ad Ciceronianum scribendi characterem efformatum fuisse.*“

Talis igitur tantusque quom esset P. Lotichius Secundus, id est et ab animi virtutibus ingeniique bonis aequae ac politionis humanitatis et accuratae eruditionis laude in paucis illius aetatis praestans, profecto non est mirandum, quod eximium virum et virum optimum et doctissimum quisque diligeret et mortuum omni qua poterat pietate coleret posteritatisque commendaret. Discant autem erectioris indolis adolescentes exemplo Lotichii moniti, qui sicut fructus constantis in veterum scriptorum lectione consumpti studii; discant imprimis, quam facile in aliarum quoque disciplinarum, quae ad quotidianae vitae usus spectant, cognitione progredi et excellere possint, qui mentis vires doctae antiquitatis scientia probe exercuerunt atque acuerunt. Carminum vero suavitatem, quae singularis est Lotichii laus, percipere cupientibus commendamus nitidam et parabilem editionem, quae Friedemanni cura adornata prodit Lipsiae anno huius saeculi millesimo octingentesimo quadragesimo.

A n n o t a t i o.

1) Ex multis libris, quibus propositum erat elevare utilitatem ex veterum scriptorum lectione percipiendam et novam discendi in gymnasiis rationem instituendam commendare, iuvat hic memorare: *Ueber das Princip des Gymnasialunterrichtes der Gegenwart und dessen Anwendung auf die Behandlung der Griech. und Röm. Schriftsteller*, von Dr. Hermann Koechly, Oberlehrer an der Kreuzschule in Dresden. Dresden 1845. 8. Porro eiusdem viri docti librum: *Die Gymnasialreform, Theoretisches u. Practisches*, ebendasselbst. 1846. 8. Eandem rem persequitur liber ita inscriptus: *Das Deutsche Gymnasium nach den Bedürfnissen der Gegenwart dargestellt* von C. Freese, Director des Gymnasiums zu Stargard. 1845. 8. — Qui priore loco dictus est, homo ingeniosus sane neque indoctus, causam susceptam magno opere defendere conatur, sed iusto calidius cupidiusque et damnat vetera scholarum instituta, et laudat recentiorum inventa atque nimis vehemens est in utramque partem. Cfr. *Rauchenstein* in *Mageri* libro *menstruo* (Revue) fasc. I, p. 20 sqq. et *H. E. Foss* in *Heydemanni* et *Mützelii* *Ephemer. scholast.* fasc. I, p. 124 sqq. Vid. infra not. 7.

2) Quod quidem postularunt quum alii, tum Koechly priore libro: *Ueber das Princip des Gymnasialunterrichts*, et conferendus etiam est alter libellus pag. 34 sqq. p. 67 et p. 97.

3) Koechly l. c. pag. 7: „Ich muss nochmals mich darauf berufen, dass mit vollständiger Beseitigung alles rein philologischen Krames und namentlich mit gänzlicher Aufhebung des Lateinschreibens und Lateinsprechens ein so angesehenes Capital an Zeit und Kraft nicht nur, sondern namentlich auch an Lust und Betrieb in den jugendlichen Gemüthern gewonnen wird, dass dann ohne irgend eine Ueberladung mit Arbeit ganz andere Forderungen in Bezug auf Menge und geistige Verarbeitung des Lesestoffes gemacht und ohne Schwierigkeit erfüllt werden können, als man bisher auch nur zu ahnen im Stande ist, so lange man das Gespenst der alten Methode nicht loswerden kann.“ — Neque dubitat idem vir doctus assensu suo comprobare academici doctoris de Latine scribendi studio iudicium, qui in ephemeridibus literariis palam ita scripserat: „Ich glaube, es könnte nicht leicht Jemand unserer zünftigen Wissenschaft einen empfindlichern Schlag versetzen, als wenn er sich die freilich sehr übel angewendete Mühe machte, unsere sämtlichen lateinischen Fest- und Officialreden in's Deutsche zu übersetzen. Man würde erstaunen, welche Menge ganz trivialen und geistlosen Gewüsches unsere armen deutschen Gelehrten auszu-

hecken gezwungen sind, wenn sie sich verpflichtet haben, für bestimmte Zeiten die Affen eines gewissen römischen Advocaten (scil. M. Tullii Ciceronis, viri consularis summique oratoris Romani) zu sein.“ Longe secus statuit alius vir doctus, qui nomine suo omisso nuper scripsit libellum hoc titulo: *Zur Verständigung über Gymnasialwesen* von A. A. Dresden u. Leipzig 1847, pag. 13: „Wenn das Lateinschreiben wegen seines unbezweifelten Nutzens nicht aufgegeben werden darf, so leuchtet zunächst ein, dass es um so erspriesslicher sein muss, je weiter man es darin und auch im Sprechen bringt; wenn ferner zur Gründlichkeit des Verständnisses der lateinischen Sprache das Lateinschreiben erfordert wird, so wird an dieser Gründlichkeit um so mehr verloren gehen, als man das Lateinschreiben beschränkt; mit der abnehmenden Gründlichkeit nimmt aber auch der Werth und Nutzen des Lateinschreibens ab; und je mehr dieser Werth und Nutzen herabsinkt, desto überflüssiger wird überhaupt das Studium des Lateinischen werden. Diese Ueberflüssigkeit endlich wird zu gänzlicher Beseitigung des classischen Studiums führen. Haben wir aber einmal das Alterthum, auf welches die ganze Bildung unserer Zeit beruht, über Bord geworfen, haben wir einmal diesen sichern Prüfstein aller edeln Bildung verloren, dann stehen wir am Anfang einer literarischen Barbarei, die, in's Gewand einer gleissenden Aussenseite geküllt, vielleicht auf immer die Rückkehr zum Bessern versperrt.“

4) Recte vereque in eadem fere sententiam Anonymus l. c. pag. 2 sq. haec scripsit: „Die Bestimmung der Gymnasien ist von jeher gewesen, auf das Verständniss der Offenbarungen des Geistes hin zu wirken. In dieser Bestimmung ist auch der Begriff enthalten, den man sich von einem Gymnasium zu machen hat. Um aber dieser Bestimmung zu entsprechen, konnte man in keiner Hinsicht ein zweckmässigeres Mittel ergreifen als das Studium der griechischen und lateinischen Sprache. Denn einmal zeigt sich in der Sprache überhaupt der menschliche Geist in seiner ganzen bewundernswürdigen Schöpfungskraft und Thätigkeit, mit einem Worte in seiner Universalität. Hier zeigen sich die Offenbarungen des Geistes am reinsten und mannigfaltigsten; alles durch das Wort bezeichnete Denken, Empfinden und Wollen ist hierin beschlossen; hier findet ein jeder das Werk und Rüstzeug zum richtigen und angemessenen Ausdruck dessen, was er selbst denkt, empfindet und will. Zweitens sind es gerade die beiden oben genannten Sprachen, welche sich durch Schärfe, Klarheit, Bestimmtheit, Kraft, Praecision und mannigfaltig nuancirte Art des Ausdrucks vor allen andern entschieden auszeichnen. Dazu kommen drittens die wichtigen, niemals ganz entbehrlichen Dienste, welche sie, wo nicht allen, doch den meisten Fachwissenschaften erweisen. Das Alter nun, in welchem diese Sprachen getrieben werden, bedarf zum gedeihlichen und förderbaren Studium der Wissenschaften vor Allem eben der Entwicklung und Bildung der verschiedenen geistigen Kräfte; und dieses ist die Aufgabe des Gymnasiums. Wer kann nun zweifeln, dass auf diesem Wege, der es in intellectueller Hinsicht lediglich mit dem Gedanken, also mit dem

innersten Wesen des Geistes zu thun hat, mit dem Gedanken, welcher das ganze Leben, die ganze Welt regiert, eine ächt menschliche Bildung erzielt werde, ein Ziel, dessen Erlangung neulich in unglaublicher Verblendung oder unerhörtem Uebermuthe den Gymnasien abgesprochen ward? — Die völlige Abschaffung der alten Sprachen ist schon aus anderweitigen zum Theil kurz vorher erwähnten Gründen, wenigstens so lange als gründlicher und wahrer Gelehrsamkeit nicht aller Werth abgesprochen wird, durchaus unzulässig, noch mehr aber die Substitution einer neuern.“

Verissime de antiquitatis studiorum dignitate in Iahnii Annal. Philol. et Paedag. a. 1846. Vol. 74 fasc. 10 p. 458 G. E. Köhler ita iudicat: „Aufgabe des Gymnasiums ist nach meinem Dafürhalten: absichtlich, doch ohne Verrathen dieser Absicht, die Liebe zu dem classischen Alterthum so dauernd in der jugendlichen Seele zu entzünden, dass noch das Mannsalter von ihrer Flamme bestrahlt und erwärmt wird. Die Nebel und Dünste, welche die Literatur der Gegenwart, des jungen Deutschlands, wie Frankreichs zum Kopfe treibt, zerstreuen sich am ersten im Anschauen antiker Klarheit oder es gewinnt jene Literatur keinen Fuss und Boden. Der Schüler, welchen Sue und A. Dumas begeistern, Homer und Sophocles kalt lassen, ist entweder höhern Drangs unfähig, oder hat in der Schule nicht die Feuertaufe erhalten. Wo gibt es denn auch jetzt Muster für die Jugend? müssen wir nicht in die Vergangenheit zurückgehen? Im Vorkampf für die heiligsten Besitzthümer geizt es sich, wie nirgends mehr, conservativ zu sein. Das Gymnasium muss radicalen Neuerungen verschlossen bleiben; es ist bestimmt, eine Wohnstätte des Aristocratismus zu sein, der in Humanität seine edelste Blüthe und Frucht, in ihrer Pflege seine höchste Aufgabe erkennt.“

5) Non ita Koechly in libro: *Die Gymnasialreform*, p. 93: „Was ist die lateinische Sprache also jetzt? Die Sprache der Scholastik! Ja, der Scholastik, d. h. derjenigen Schulweisheit und Stubengelehrsamkeit, welche, selbstzufrieden und hochmüthig, vor der frischen Gegenwart in Wissenschaft und Leben sich abschliesst, an dem Vermächtniss vergangener Jahrhunderte zehrt und von einer neuen Jugend, von einer neuen Welt, von einer neuen Zeit nichts wissen will, sondern sie entweder vornehm ignorirt, oder dummdreist verschmähzt und verächtelt.“ — Recte ac prudenter Anonymus in libello: *Zur Verständigung über Gymnasialwesen*, p. 16: „Indem man formale Bildung als das eigentliche Element des Gymnasiums anzusehen hat, muss die Erlangung realen Wissens in den Gymnasien auf ein gewisses Minimum beschränkt werden. Jeder, der etwas gelernt hat, verlangt, dass dies auf den Gymnasien gelehrt werden soll. Die Folge davon ist die verderbliche Ueberladung der Gymnasien mit Realien! Und so gross dieses Uebel schon ist, verlangt man dessen ungeachtet von vielen Seiten eine in diesem Sinne zeitgemässe Reform desselben, eine Reform, die, wenn sie durchginge, eine Gymnasialrevolution herbeiführen d. h. das Grab aller vollendeten geistigen Bildung sein würde. Man lasse nur jener,

von jedem Einsichtsvollen geforderten formalen Bildung gehörigen Raum, dann wird sich ein gründliches Wissen realer Gegenstände von selbst einstellen, oder hat es daran gefehlt? Sind nicht aus unsern Gymnasien die grössten Gelehrten in allen Zweigen der Wissenschaft, nicht nur in der Theologie, Jurisprudenz, Philosophie, sondern auch in der Medicin und Naturwissenschaften hervorgegangen?“

6) Honorifice Lutherus noster in epistola ad urbium Germanicarum consules et magistratus missa quum alia, tum hoc prudenter suadet: „Lasset uns das gesagt sein, dass wir das Evangelium nicht werden erhalten ohne die Sprachen. Die Sprachen sind die Scheide, darinnen das Messer des Geistes steckt. Ja, so wir es versehen, dass wir, da Gott für sei! die Sprachen fahren lassen, so werden wir nicht allein das Evangelium verlieren, sondern wird auch endlich dahin gerathen, dass wir weder Lateinisch, noch Deutsch recht reden, und schreiben können.“ In diversam sententiam discessit Koechly in libro: Die Gymnasialreform p. 99: „Mag man auch noch einmal den Versuch machen, durch Gesetze und Verordnungen das Lateinsprechen gewaltsam zu schützen und zu halten: man wird noch einige Generationen unserer heranwachsenden Gelehrten-Jugend damit quälen und ihnen damit das Schulleben wie den wissenschaftlichen Sinn verkümmern können: aber das Veraltete jung machen wird man nicht können: es geht zu Grunde — wir wollen uns in zwanzig Jahren sprechen — und es fragt sich nur, ob an einer chronischen, oder an einer acuten Krankheit. Es fragt sich nur, ob wir das untergrabene, vermorschte, durchlöchernte Gebäude abtragen, oder zusehen wollen, wie es in sich selbst zusammenstürzt und vielleicht noch so manche unter seine Trümmer begräbt.“

7) Anonymus in libello: Zur Verständigung über Gymnasialwesen p. 12: „Um eine Sprache gründlich zu erlernen — und nur eine gründliche Erlernung kann zum Ziele einer befriedigenden Geistesbildung führen — ist es unumgänglich nötig, sich fleissig im schriftlichen Gebrauche derselben zu üben. Dies ist zu allgemein bekannt und sollte eben so allgemein anerkannt werden — als dass es einer weitern Auseinandersetzung und Begründung bedürfte. Um tiefer in den Geist der lateinischen Sprache einzudringen, sind Versuche im freien lateinischen Ausdrucke unerlässlich. Erst dadurch gewöhnt sich der Schüler, seine Gedanken ganz der modernen Form zu entkleiden, und sie in eine von dieser vielfach verschiedene zu übertragen. Dies ist allerdings eine schwierige, aber eben durch diese Schwierigkeit den Geist desto lebhafter beschäftigende, desto stärker anregende, desto bildendere Sache.“ — Superiore anno de hoc gravissimo argumento dia multumque in contrarias partes disputatum est in conventu philologorum, qui d. 29. 30 m. Septbr. et d. 1 et 2 m. Oct. habebatur Ienae, idque auctore eodem viro docto Dresdensi, Koechly. Quam disputationem qui diligentius cognoscere velint, haud pigebit legisse novas ephemerides ad res scholasticas spectantes (Zeitschrift für das Gymnasialwesen im Auftrage und unter Mitwirkung des Berlin. Gymnasiallehrer-Vereins, herausg. von A. G. Heydemann

und W. F. C. Mützel. In vierteljährigen Heften, Berlin, Chr. Fr. Enslin 1847), quae
superrime edi coeptae sunt faustis auspiciis spectatorum duumvirorum, Heydemanni et
Mützelii, Berolini, Fasc. I, p. 271 — 281.

8) *Ioachimo Camerario Papenbergensi*] Natus est *Ioachimus Camerarius*
in urbe Bambergae, quae Bapenbergae item sive Papenbergae appellatur, a. 1500 Germanico
nomine *Liebhard* in Latinum mutato. Nam gens Cameraria inde ab anno 1100 apud
episcopos Bambergenses munere Camerarii (Kammermeister, Kämmerer) perfuncta nar-
ratur. Mature in puero Ioachimo tanta et ingenii felicitas et discendi cupiditas
elucebat, ut literarum bonarum initiis satis perceptis, a patre, viro honesto et prudente
puer tredecim annos natus Lipsiam mitteretur. Ibi quum alii eruditionis fama clari
professores adolescentibus studiosis ad liberales artes viam praeibant, tum *Richardus*
Crocus natione Britannus Graecos scriptores magna cum laude interpretabatur. Quo
quidem duce tantos in eo genere studiorum fecit progressus, ut Croco absente non
raro vices magistri sustineret. Habebat condiscipulum hominem praeclari postea no-
minis *Utricum Huttenum*. Deinde a. 1515 Erfordiam concessit, ubi cum Helio Eobano
Hesso notitiam amicitiamque contraxit, qua per totam vitam coniuncti manserunt.
Triennio nondum exacto Lutheri et Melanchthonis auctoritate permotus et allectus,
Vitembergam venit, neque poenituit optimum iuvenem huius consilii. Nam sub auspi-
ciis Melanchthonis in Graecis Latinisque literis tantum profecit, ut tribus annis post
unam ex Demosthenis orationibus Latino sermone illustratam ederet. Magistro autem
quum propter eximiam eruditionem, tum propter cognitam honestatem in paucis erat
carus dilectusque. Tum anno aetatis vicesimo quinto scripsit bonae frugis annotationes,
quibus Ciceronis Tusculanas disputationes explicaret, quo studiorum specimine Erasmo
Roterodamensi summa iam nominis laude florenti ita probatus est, ut frequenti episto-
larum consuetudine cum eo coniungeretur. Belli propinqui terrores doctis studiis in-
festi Camerarium impulerunt, ut Vitemberga discederet otiumque vicinis Borussiae
terris lustrandis tribueret. Verum iam anno insequente, quum civitas Norimbergensis
gymnasium melius institutura esset, a Melanchthone maiorem in modum commendatus
scholae rationes non modo bene prudenterque ordinavit et certis legibus temperavit,
ut laetissime effloresceret, sed Graecarum etiam Latinarumque literarum professionem
auspicatus est. Maiorem laudem sibi peperit, quum a. 1530 publice missus a senatu
Norimbergensi interesset comitiis, quae in urbe Augusta Vindelicorum (Augsburg)
de rebus sacris Evangelicorum habebantur. Ibi enim una cum Melanchthone notam
illam confessionem Augustanam confecit. Quadriennio interiecto senatus Norimbergensis
hominem doctissimum et ad res gerendas maxime idoneum ab epistolis sibi esse voluit:
at maluit in scholastica statione permanere oblataque conditionem non accepit. Tum
anno proximo ab Ulrico Wirtembergensi terrarum duce honorificentissime invitatus
Tubingam profectus est ibique academiam, cuius fama labi coeperat, rectius constituit
et professoris munus suscepit. Quibus rebus feliciter explicatis atque expeditis, magis
in dies crevit Camerarii gloria. Unde non mirum, quod principes Saxoniae, Henricus

et Mauritius, Lipsiensis academiae rationibus sapienter consulturi, peritissimum hominem luculentis conditionibus propositis Tubinga avocarent. Socio assumpto Caspare Bornero res academicas instauravit meliusque constituit ac per complures annos academiae, Rector et Decanus fuit. Ab his negotiis academicis praeclarissimum virum novae de rebus sacris consultationes abstraxerunt. Venit igitur comite Melanchthone suo primum Augustam Vindellicorum deinde Norimbergam, denique Ratisbonam. Mortuo venerando magistro Melanchthone, pro ea qua ferebatur in ipsum pietate scripsit de vita factisque praestantissimi viri et paullo post Latinas epistolas, quas per triginta octo annos ab eo acceperat, tribus voluminibus comprehensas emisit. Annum aetatis sexagesimum octavum expleverat Camerarius, quum ab imperatore Germaniae, Maximiliano II. vocatus est Vindobonam, ut denuo de rebus sacris per Germanicas terras ordinandis et confirmandis consilium prudentissimi hominis audiret. Quod quidem summo principi ita probavit, ut regis muneribus auctus ornatusque domum rediret. Extrema aetate tentatus adversa valetudine, cuius causam esse calculos medici suspicabantur, noluit eos sibi excidi ac gravissimos dolores patienter tulit. Tandem exstinctus est Lipsiae a. 1574 obiitque flebilis cunctis, qui optimi viri virtutes et in res scholasticas, academicas et ecclesiasticas merita perspecta habebant. Tanto erat studio, tanta industria et assiduitate, ut centum fere et quadraginta libros quum maioris, tum minoris modi conscriberet. Maior pars eorum complectebatur aut Latinas versiones Graecorum scriptorum, aut explanationes monumentorum et Graecae et Latinae antiquitatis. Quibus accessit magnus numerus epistolarum ad familiares datarum, quae undecim libris constant, et carmina Latino Graecoque sermone composita. Iure numeratur inter eos viros, quorum opera, cura, consilio optima artes literaeque saec. XVI. mirifice iuvabantur atque propagabantur. Nec minor laus debetur animi candori raraeque vitae probitati, quam constantissime tuebatur.

9) *Danieli Stibaro*] Vide quae scripsimus de vita Lotichii p. 26.

10) *Cum tu de eo humanissime mihi receperis*] i. e. quum tu hoc mihi promiseris, pollicitus sis; plane Tulliana consuetudine, cui hoc loquendi genus in epistolis admatum est, nec raro iungitur cum verbis *polliceri*, *promittere*, *spondere*, *confirmare* ut Graec. ἀναδέξασθαι. Cic. Fam. 13, 10, 3: *Promitto in meque recipio, fore eam tibi et voluptati et usui.* ibid. 13, 17 extr.: *Promitto, recipio, spondeo, C. Caesarem talem semper fore civem, qualis hodie sit.* a Att. 13, 1, 2: *De aetate polliceris vel potius recipis.* Fam. 1, 9, 9: *Quid sibi is de me recepisset, in memoriam redegit.* Fam. 10, 10, 7: *Omnia me reipublicae praestitisse, quae et tua exhortatione excepi et mea affirmatione tibi recepi.* Illud tamen apparet, verbum *recipere* poni de eo, qui fide et existimatione interposita suscipit aliquid generose, honeste, quo alii cura aut molestia adimitur.

11) *cum puero meo*] Romano more de tabellario accipiendum est. Cic. Att. 3, 7, 5: *Eo die pueri tui mihi a te literas reddiderunt, et alii pueri post diem*

cartum eius dici alias literas attulerunt. *ibid.* 1, 13: *Eunti mihi Antium erat obuiam puer tuus; is mihi literas a te reddidit.*

12) *per Halam iter facere cogor*] Ergo non poterat Witemberga recta pergere Lipsiam, ubi tum Camerarius vivebat.

13) *cohonestaris*] i. e. diligenter me commendaveris; raro quidem ita de personis ponitur *cohonestare*, tamen non damnandum est.

14) *ut apud memorem et gratum beneficium a te positum esse intelligas*] i. e. grato homini beneficium tuum tributum esse, in gratum hominem collatum esse, Cic. Fam. 13, 45 extr.: *A te peto, quoniam apud gratos homines beneficium pones, ut eo libentius iis commodes, quoad fides tua patietur.*

15) *libellum carminum meorum*] Cfr. Vita Lotichii p. 29.

quem D. Stibaro inscripsi] Vulgo dicunt, *dedicavi*; illud magis antiquo more ponitur, ut *mittere librum alicui, ad aliquem*. Cic. Att. 11, 9. Brut. 38, 132. Divin. 2, 1, 3. Commemorato libri iudice addere solebant veteres nomen eius, cui mittebant opus confectum, e. c. M. Tullii Ciceronis Tusculanarum Disputationum ad M. Brutum liber primus.

16) *nulla ingenii lumina*] Dicuntur metaphoricè *lumina*, quaecumque sua praestantia, excellentia hominum animos advertunt, capiunt et mirifice oblectant, unde apud Tullium: *lumen animi, ingenii, consilii, virtutis*.

17) *malitiam horum temporum accusabis*] i. e. isqua, tristia, gravis tempora. *Malitia*, Graeco *κακία*, opponitur propriae virtuti. Sall. Iug. 22, 2: *Se virtute, non malitia Scipioni, summo viro placuisse*. Sen. Ep. 31 ante med.: *Si intellexeris bona esse, quibus admixta est virtus, turpia, quibus malitia coniuncta est*. At Cicero minus probat hanc oppositionem. Tusc. 9, 15, 34: *Huius igitur virtutis contraria est vitiositas: sic enim malo quam malitiam appellare eam, quam Graeci κακίαν appellant: nam malitia certi cuiusdam vitii nomen est, vitiositas omnium*.

18) *pu-ri nostri*] Romana consuetudine ita vocantur Stibari adolescentes, Georgius, Gabriel Stibarus, Henricus fratris filius et Conradus Dimerus, quorum studiis a D. Stibaro praefectus fuerat Lotichius. Cfr. Lotichii ad Camerarium data epist. p. 7.

19) *NCOPYRG*] i. e. Numburgi. Graecum nomen urbis Thuringiae ad Salam flumen sitae, quae Lipsia abest sex fere milliaria Germanica.

20) *summo mane*] Ita non raro *mane*, quod est neutrum indeclinabile, substantivè ponitur maximo apud poetas et scriptores, qui proxime Augusti tempora vixerunt. Virg. Georg. 3, 325: *Dum mane novum, dum gramina canent*. Hor. Sat. 1, 8, 18: *Noctes vigilabat ad ipsum Mane*. Similiter Cic. Att. 5, 4: *Litteras multo mane* (in aller Frühe, sehr früh) *mihi dedit*. Similiter adverbialiter. Cic. Att. 4, 9, 14: *Bene mane haec scripsi*. ad Att. 13, 19: *Hodie mane*.

21) *abaglaendorum studiarum causa*] Dicit medicinam, quam in Italia plenius accuratiusque discere cupiebat.

22) *postquam de moleculis curae cōperit* Loquitur de onere et negotio praefecturae, quae ipsi demandata erat a Dom. Stribaro. Nam dum trium adolescentulorum studia et mores moderari ac regere debebat, studiis suis non multum temporis vacui tribuere poterat.

23) *Robortellam*] Franciscus Robortellus, natus in urbe Italiae superioris Udine a. 1516, homo praestantis et seracis ingenii, sed proclivis item ad pugnandum nec facilis in aliorum iudiciis ferendis, plurimarum rerum, imprimis earum, quae ad doctam antiquitatem et historias pertinebant, scientiam tenebat. Multa accuratius investigabat, rectius iudicabat, non pauca quae explorata et certa adhuc esse putabantur, in dubitationem vocabat. Primum erat in urbe Lucca professor eloquentiae: inde propter caedis suspicionem expulsus venit Pisam ibique ethices et eloquentiae professionem adeptus est. Tum a. 1552 Patavii humanitatis studia tradebat; a 1558 Bononiam migravit idemque genus studiorum persequabatur. Denique a. 1561 reversus Patavium pristina stationem recepit atque in ea urbe a. 1567 supremum obiit diem. Multa scripsit, velut Annotationes in plurima loca difficultate veterum, Venet. 1542 fol. Annotaciones, Patav. 1581 fol. De vita et victu pop. Rom., Bonon. 1550 fol. Multae dissertationes antiquitatibus illustrandis et veterum scriptis explicandis insertae sunt Thesauris Gruterianis et Graevianis.

24) *Paulus Manutius*] Latine imprimis doctus homo et de tota Romana antiquitate praeclare meritis, nat. a. 1512, clarissimo patre Aldo Pio Manutio, qui Venetiis nobilissimum condidit typographeum, unde permulti et nitide castigatèque descripti prodierunt libri. Dignus paternae industriae et gloriae heres, primum in urbe Roma praefectus erat typographico apostolico; deinde in patriam rediit exercibat paternam officinam et pro ea, quae erat antiquitatis studiis accurata cognitione, veteres Romanos scriptores, in his praeter ceteros Ciceronem, edere et illustrare coepit. Merito praedicatur in numero eorum, qui polioris et variae doctrinae, imprimis dicendi laude, saec. XVI. apud Italos admodum floruerunt. Obiit d. 6. m. April. a. 1574. Eamdem fere laudem consecutus est filius, Aldus Manutius, mort. Romae 1590.

25) *Livium — excudit*] Recte iam F. A. Wolffus (Analect. I, p. 190) monuit, neque *excudere* neque *recudere* hoc sensu Latine dici posse: aptius scribitur: *litteris s. typis, litterarum formulis describere, excubere*. — Quod paullo post sequitur nomen proprium *Senenses*, plenius rectiusque scribendum erat *Senenses*, ab illustri illa civitate *Siena* ita dicti. Quae quidem civitas iam inde a saec. XII. una cum Pisana, Florentina et Lucensi civitate in libertatem sese vindicavit et opibus florere coepit. Primum penes proceres erat summa imperii; deinde (a. 1133) populus regnabat. Maximus magistratus appellabatur *Podesta*, cui adiuncti erant duo consules. Tum creatus est (a. 1236) senatus viginti quattuor senatoribus constans: cui postea addebatur collegium novem virorum. Princeps erat orbium Italiae medius, quos cum Gihellinis contra Guelfos stabant. Post varios casus et acerba discrimina rerum tandem o dominatione

Hispanorum Cosmi Medici (Cosmo de Medici) consiliis callidis, opibus et fortitudine redacta est (a. 1557) sub potestatem Florentinorum.

26) *vendi coeperunt*] Quamquam non raro ita iungitur verbum activum cum infinitivo passivi apud Rom. scriptores, maxime argenteae aetatis, tamen praefenda est consuetudo, quae fere apud Ciceronem obtinet, ex qua verbum *coepisse* ponitur in genere passivo, si sequitur infinitivus passivi generis, excepto infinitivo *feri*. Cic. Brut. 27, 106: *Hic optumus illis temporibus est patronus habitus eoque forum tenente plura fieri iudicia coeperant*. Cic. Fam. 14, 18, 1: *Si qua vis aut si quae rapinae fieri coeperint*. Apud historicos nonnumquam etiam infinitivus aliorum verborum cum verbo *coepit* in infinitivo passivo copulari solet. Liv. 2, 29: *Tandem ordine consuli coepit*. Nep. Epam. 10, 3: *Postquam apud Cadmeam cum Lacedaemoniis pugnari coepit*. Tac. Hist. 1, 16: *Loco libertatis erit, quod eligi coepimus*. Iustin. 14, 5, 9: *Olympias — quum veniret prohiberique finibus coepisset*.

27) *ne aliquam commutationem afferret*] Recte h. l. plene scriptum est *pron. aliquam* etiam praecedente coniunctione *ne*, quoniam inest quaedam vis et potestas (h. e. es steht hier nachdrücklicher und selbständig), praesertim si opponitur *multum*, *omnia* vel *paullulum*. Cic. Phil. 13, 1, 2: *Proximo bello si aliquid de summa gravitate Pompeius, multum de cupiditate Caesar remisisset*. Cic. Mil. 24, 66: *Timebat Pompeius omnia, ne vos aliquid tineretis*. Liv. 24, 4: *Create consulem T. Otacilium, non dico, si omnia haec, sed si aliquid eorum praestitit*. Cfr. Zpt. Gr. Lat. §. 708. Krüger: Lat. Gr. §. 427. Madvig. §. 484. Herzog ad Caes. B. G. 1, 33.

28) *intermissionis literarum*] Cic. Fam. 7, 13: *Neque alia fuit ulla causa intermissionis literarum, nisi quod ubi esses, plane nesciebam*.

29) *limacum ritu*] Varr. L. L. 7, 3, 9: *Limax a limo, quod ibi vivit*. Fest. p. 116 ed. Müller. *Limaces cochleae a limo appellatae*; et Hesych. Ἐστὶ δὲ καὶ ζῶον ὅμοιον τῇ κοχλίᾳ, ὃ καλοῦσι λίμαξ (die nackte Schnecke, Wegeschnecke). Plin. 18, 17, 44: *Limaces nascuntur in vicia, et aliquando e terra cochleae minutae, mirum in modum erodentes eam*.

30) *Heydelbergam cogito*] Plane Tulliano more, elliptica ratione, omisso verbo *ire*, *abire*, *proficisci*. Cic. Att. 16, 2, 4: *In Pompeianum cogitabam, inde Aeculanum*. ibid. 9, 1, 2: *Lepidus, quocum diem contere solebam, cras cogitabat*. ibid. 2, 8, 2: *Ludi Antii futuri sunt a. IV. ad prid. Non. Maii. Eos Tullia spectare vult. Inde cogito in Tusculanum, deinde Arpinum*.

31) *quantum literis tuis — commodare mihi possis*] Et hoc Cicerone auctore scripsit Lotichius. Nam aliquoties apud Tullium in epistolis ad amicos datis significat *commodare alicui aliqua re* i. q. gratum facere alicui aliqua re. Cic. Fam. 13, 35: *Peto igitur abs te, ut omnibus in rebus, quoad sine molestia tua facere possis, ei commodes*. ibid. ep. 54: *Quamobrem a te peto maiorem in modum, ut his omnibus in rebus, quantum tua dignitas fidesque patietur, commodes*.

32) *brevibus te compellarem*] Meliorem in partem h. l. accipiendum est *compellare*: idem declarat, quod alloqui aliquem paucis; breviter scribere ad aliquem. Et Plautus: *compellare aliquem blande, familiariter*. In peiorem partem significat i. q. *exprobrare alicui aliquid, increpare aliquem*. Nep. Timol. 1, 5: *Neque aspexit mater, quin eum fratricidam compellaret*. Liv. 22, 12: *Pro cunctatore segnem, pro cauto timidum compellabat*. 2) sensu forensi est idem quod reum agere, accusare aliquem; vid. Cic. Phil. 3, 7, 17. ad. Att. 2, 2. Nep. Alcibiad. 4, 1.

33) *a D. praeceptore*] i. e. a Phil. Melanchthone, quem praeter ceteros appellat praeceptorem suum: κατ' ἐξοχὴν autem Mel. dictus est Praeceptor Germaniae.

34) *de scholae reformatione*] Dicit Lyceum Heidelbergense, de cuius originibus et progressibus diligenter docteq. exposuit Ioa. Frid. Hautz, clarissimus Lyc. Heidelb. Professor a. 1846, quum celebranda essent tertia scholae inclitae saecularia. Res enim scholasticae maxime propter bellicos, quibus tum illa pars Germaniae misere perturbata et afflicta est, tumultus ac furores ita dilapsae iacebant, ut Otto Henricus demum de iis melius constituendis cogitare posset. Cfr. Hautzii lib. cit. p. 58 sqq. Verum non respondit eventus optimi principis expectationi, ac successoris demum Friderici III. cura studioque factum, ut Paedagogium — ita tum appellabatur — laetiora caperet incrementa.

35) *in Thermis valetudinem curat*] Cogitandum est, nisi fallimur, de loco terrae Badensis, qui, etiam nunc dicitur Baden - Baden. Princeps autem fuit Otto Henricus, cui successit Fridericus III., quem modo diximus.

36) *Sebastianus Castalio*] Sabaudicis montibus oriundus a. 1515 natus est, multae et accuratae eruditionis homo, Graece Latineque doctus. In urbe Geneva scholae rector constitutus pugnavit contra Calvinii de praedestinatione doctrinam et propterea inde discedere coactus est. Tum Basileae Graecarum litterarum professor factus; obiit a. 1563. Ex libris, quos confecit, praecipue commemoranda est Latina versio librorum sacrorum. Praeterea edidit aliquot Latinos et Graecos scriptores veteres et patres ecclesiae.

37) *ac hospitem*] Scribere debebat *et vel atque hospitem*: bonae Latinitatis auctores diligenter vitabant hiatum, qui nascitur concurrente littera *c* et *h*. Recte F. A. Wolfius ad Suet. Caes. 26: *Olim erat ac etiam, quod barbarorum esse iam dudum viderunt omnes emendatae Latinitatis auctores; nuper tandem imperiti rem in dubium vocarunt*. Non leve huius praecepti argumentum est, quod poëtae numquam particulam *ac* posuerunt ante vocalem aut litteram *h*. Cfr. Hand. Tursell I, p. 454 sqq. Bremi ad Nep. Ages. 2, 1. Spalding. ad Quintil. 5, 2, 3. Ochsner ad Cic. Eclog. p. 269. Zpt. Gr. Lat. §. 332.

38) *festinanter exaratis*] Verbum *exarare* proprie significat vel: arando totum agrum colere, conserere, vel arando aliquid efficere, parere, proferre (erpfügen, erbauen, erarbeiten). Improperie ponitur de iis, qui ope stili aliquid in tabellis ceratis,

in codicillis conscribunt, praesertim non diuturna meditatione et diligentia adhibita. Apud Tullium in solis epistolis reperitur. Cic. Att. 12, 1, 1: *Undecimo die, postquam a te discesseram, hoc literularum exaravi.* ibid. 13, 38, 1: *Ante lucem quum scriberem contra Epicureos, de eodem oleo et opera exaravi nescio quid ad te et ante lucem dedi.* Fam. 9, 26: *Accubueram hora nona, quum ad te harum literarum exemplum in codicillis exaravi.*

39) *in Monte Pessulano*] Vulgo *Mompelium* (Montpellier), antiquo nomine *Mons Pessulus*, *Mons Pessuli*, *Mons Pelius*, oppidum vetus et nobile Francogalliae meridionalis, quod sub finem Saec. X. ex vico sensim dignitatem et magnitudinem urbis ascevit. Urbanus V., summus pontifex Rom., in Monte Pessulano primam condidit academiam (a. 1196), quae tamen anno demum 1289 iustam plenamque studiorum formam rationemque adepta est. Triplex ordo (Facultät) professorum constitutus fuit, theologorum, iurisconsultorum et medicorum. Tanta erat huius academiae fama, ut certatim studiosi literarum iuvenes vel ex remotissimis terris discendi causa eo confluerent. Medicinae imprimis studiosis tam multa et tam eximia adiumenta et instrumenta artis suae parata et instructa erant, ut Mons Pessulanus a multis praeferreretur Italicis academiis. Accessit mira locorum, quae urbi vicina erant, amoenitas et salubritas atque suavissima coeli temperies. Quapropter Lotichius eiusque comites lubentissime ac iucundissime illa in urbe vivebant. Antiquissimus hic omnium institutus erat hortus, qui dicitur, botanicus, cuius conditor fuit Petrus Richardus de Bellevue, botanicae et anatomicae artis professor, nat. Catalaunis (Chalons sur Marne) a. 1553, mort. a. 1623.

40) *ut honores in facultate medica consequi possim*] Recentiorum consuetudini obsecutus ita scripsit Lotichius; at haec non probanda et dicendum potius erat: ut honores auctoritate ordinis Medicorum consequi possim. Vocari autem sollemniter solet ordo medicorum *gratiosissimus*. Nomen vero et dignitatem (insignia) accepit Lotich., ut iam diximus Patavii.

41) *Regis summus est in Germanos favor*] Loquitur de Henrico II., Francisci I. filio, qui regnum tenebat inde ab anno 1547 usque ad annum 1559. Quamquam studiosus erat Germanorum, qui sacra emendata sive reformata sequebantur, tamen in ipsa Gallia eos, qui Calvinii doctrinam profitebantur, — per ludibrium appellabantur *Hugenotti*, Gallice *Huguenots*, — crudelem in modum vexavit et constituit iudicium, quod animadverteret in omnes, qui nova sacra per invidiam haeretica dicta amplectebantur.

42) *certos homines hactenus habere non potui*] Cicerone auctore non debebat scribere *hactenus*, sed *adhuc*; prior particula de loco, posterior de tempore ponitur: quamquam non est negandum, apud Livium *hactenus* bis, nisi fallor, reperiri de certo quodam temporis spatio. Liv. 7, 26: *Hactenus quietae utrimque stationes fuere.* Flor. 1, 11, 5: *Hactenus pro libertate, mox de finibus Latinis eisdem assidue pugnatum est.*

43) *a Glaburg]* In epistolis Ulr. Hutteni bis commemoratur Eques Arnoldus de Glauberg: qui quidem intelligendusne sit de I. U. Doctore *a Glauburg*, compertum non habemus. Ille fuit item iureconsultus et Francofurtanus.

44) *D. Danielis]* Aperte cogitandum est de Daniele Stibaro, cuius munificentiae Lotichius permulta debebat beneficia in doctis studiis colendis.

45) *plurimam salutem dico]* Ita Rom. more scriptum: apud Tullium legitur item: *multam salutem alicui impertire; plurimam salutem alicui nunciare; multum, plane salutare aliquem.*

46) *Mensis iam elapsus est unus]* Quamquam apud recentiores et *elabi* et *praeterlabi* haud raro scriptum legitur pro verbis: *praeterire, abire, effluere, interponi, intercedere, peragi*, tamen huic consuetudini non est inserviendum, quoniam non firmatur veteri auctoritate. Tum demum *elabi* et *praeterlabi* recte ponitur, si cogitandum est de tempore frustra consumpto. Sen. Ep. 1, 1: *Magna vitae pars elabitur male agentibus.*

47) *prolixè]* i. e. abunde, cumulate. Cic. Fam. 7, 5, 1: *Neque mehercule minus ci prolixè de tua voluntate promisi, quam eram solitus de mea polliceri.*

48) *lucubrationibus]* Vocab. *lucubratio* non solum lucubrandi, i. e. nocturno tempore ad lucernam faciendi opus actum declarat, sed illud ipsum etiam, quod nocturno studio aliquis commentatus est, confecit. Cic. Fam. 9, 2, 1: *Conscripsi epistolam noctu: nec ille ad me rediit. At tibi repente paucis post diebus ad me venit Caninius mane. Etsi erat ἑωλος (i. e. obsoleta, non recens) illa epistola — tamen perire meam lucubrationem nolui et eam ipsam Caninio dedi.*

49) *in xenodochio publico artis opera exercerem]* Vocatur hoc studii medici genus ab artis peritis Poliklinik. Xenodochium est Graec. voc. *ξενοδοχεῖον*, quod legitur in Cod. Iustin. 1, 2, 17, apud Senecam (Ep. 27) et iam apud Celsum (praef.): dicitur Latine *valetudinarium*, i. e. aedificium publicum aegrotis recipiendis sanandisque exstructum atque instructum.

50) *salutem plurimam]* Cogitatione supplendum est: *impertio, nuncio.*

51) *exercent me quaedam reliquiae medicatae potionis]* Conferantur, quae supra de vita Lotichii exposuimus p. 27. Verbum autem *exercere* sensu praegnant, qui vocatur, idem est, quod vexare, cruciare, torquere. Cic. Tusc. 5, 1, 3: *Equidem eos casus, in quibus me fortuna vehementer exercuit, mecum ipse considerans cet. pr. Arch. Poëta 11, 28: Quid est quod in tam exiguo vitae curriculo et tam brevi tantis in laboribus nos exerceamus? Sall. Catil. 11: Sed primo magis ambitio quam avaritia hominum animos exercebat.*

52) *accingar itineri]* Non raro ita ponitur *accingi* et *se accingere* alicui rei, et in *aliquid*, apud poëtas, imprimis apud Virgilium, cum dativo, de hominibus, qui rem aliquam maiorem, paullo difficiliorem aggrediuntur. Ductum est hoc loquendi

genus ex eo, quod qui maius quoddam negotium suscipere instituebant, vestes antea fluentes et laxas cingulo constringebant. Cfr. Dict. Ruhnk. ad Ter. Eun. 5, 8, 30. Casaub. ad Suet. Oct. c. 24.

53) *forte fortuna*] Saepe ita iungitur cum vocc. *casu*, *temere*, ita tamen, ut semper fere declaret exoptatum, faustum casum. Opponuntur autem vocabula *forte*, *fortuna*, *casus* diis ipsis atque fato. In prioribus inest notio libidinis et arbitrii, quod non regitur certis et firmis legibus: dii contra et fatum sequuntur certam rationem certasque leges, quamquam mortales saepe eas perspicere nequeunt. Cfr. Doederl. Synon. T. 5, p. 295. Cic. Fat. 3, 6: *Si futi omnino nullum nomen, nulla natura, nulla vis esset, et forte, temere, casu aut pleraque fierent aut omnia*. Tac. Ann. 6, 22: *Mihi haec et talia audienti in incerto iudicium est, fatone res mortalium et necessitate immutabili, an forte volvantur*. Plin. Paneg. 1, 4: *Si adhuc dubium fuisset, forte casune rectores, terris an aliquo numine darentur*. Ceterum nota res est, Romae iam a rege Servio Tullio numini Fortis Fortunae secundum Tiberim extra urbem dedicatum fuisse fanum; vid. Varr. L. L. 6, 3, 56. Liv. 10, 46. Tac. Ann. 2, 41.

54) *Schola fere nulla est*] i. e. cessat professorum academiae opera et studium in docendo, quoniam per turbulenta tempora non licebat, mansuetioribus Musis prospere operari. Recte autem dicuntur *scholae*, quas minus Latine vulgo vocant recentiores *lectiones*, *praelectiones*, et plane barbare etiam *collegia*. Bene et diligenter refutavit hanc consuetudinem recentioris aetatis Eichstadius in Deprecat. Latinit. academ. p. 6 sqq. Quem locum repeti curavit Frotscherus in Annotat. ad Muret. Opp. T. 2, p. 243. Antiquo more et instituto apud Graecos *σχολαί* appellabantur disputationes, quae maxime a philosophis habebantur de rebus ad philosophiam spectantibus. Cic. Tusc. 1, 4, 8: *Itaque dierum quinque scholas, ut Graeci appellant, in totidem libros contuli*. ibid. c. 47, 113: *Deorum immortalium iudicia solent in scholis proferre de morte*. ibid. 3, 34, 81: *Separatim certae scholae sunt de exsilio, de interitu patriae, de servitute cet.*

55) *Hippocratis Aphorismos*] Unus in paucis Hippocratis de arte medendi scriptis celebratissimus liber, qui numeratur merito inter genuina summi medici opera et provectiore aetate ab ipso videtur confectus esse. Insunt autem in his *ἀφορισμοίς* quadringenta fere praecepta ad ipsum medicinae usum accommodata, ut de natura, de signis, de periculis et exitu morborum. Continent quasi summam et praestantissimam partem universae doctrinae Hippocraticae, unde vel nostri aevi medici aliquem fructum percipere possunt. Ita factum, ut aureolus liber per totum fere orbem terrarum propagatus sit et plerisque cultioris Europae literis illustratus et commentariis doctis explanatus.

56) *si modo ulla futura est reformatio*] Non tam ecclesiasticis de rebus loquitur Lotichius, quam de institutis academiae Heidelbergensis emendandis, quibus Otto Henricus princeps consulturus cum viris harum rerum peritis consilia agitarat.

Itaque a. 1558 edidit libellum Germanice scriptum: *Pfalzgraven Otto Henrici Reformation der Universität zue Heydelbergck. von 1558*. Cfr. *Wund: Beitr. zur Gesch. d. Univ. Heidelb.*, p. 46 sqq. De instauranda acad. Heidelb. vid. *Ioa. Fr. Hautz* in libello, quem scite scripsit de Iac. Micyllo, p. 36.

57) *Aulae consensum impetrare non potuit*] Cogitandum videtur de aula Saxonica Ottoni Henrico parum amica propter res bellicas.

58) *De colloquio magna adhuc spes est*] Publice missus erat a. 1557. Phil. Melanchthon Wormatiam, ut res sacras nondum satis explicatas ordinaret atque confirmaret.

59) *litteras testimoniales*] Vix satis Latine ita dicuntur testimonia scripta: in Codice Theodos. demum leguntur *litterae testimoniales*.

60) *in facultate nostra*] Cfr. quod ante dictum est in annot. 40.

61) *Peucorum*] Caspar Peucer Saxo natus erat Budissae (Bautzen), quae urbs est Lusatiae superioris, a. 1525, non mediocri ingenio praeditus et literarum ita studiosus, ut Phil. Melanchthon, cuius auditor fuerat Vitembergae homini medicinae in eadem academia professionem adepto in matrimonium daret unam ex filiabus. Eiusdem arte et consilio utebatur Elector Saxonicus Augustus I. in tuenda corporis sui valetudine. Tum vero quum incurrisset in suspicionem Cryptocalvinismi, quem vocabant, inde ab anno 1575 — 85 in custodia tenebatur, unde tandem emissus migravit Servestam (Zerbst) ibique principis factus est medicus. Obiit hac in urbe a. 1602. Cum Peucero primam notitiam contraxerat Lotichius, quum discendi causa venisset Marburgo Vitembergam.

62) *Romam cogito*] Cfr. annot. 30. Non pervenisse Lotichium illas in urbes, ut voluerat, narratum est in brevi vitae Lotichianae descriptione p. 28.

63) *humanioribus nempe studiis*] Duo notanda hic sunt, quae non satis Latine scripsit Lotichius. Nam licet illius et omnino recentioris aetatis homines Latine doctissimi non dubitarent dicere: *litterae humaniores, humaniora, studia humaniora, doctrina humanior*, tamen haud probanda sunt haec loquendi genera, ut recte iam docuit F. A. Wolfius in *Mus. antiq.* Tom. I, p. 12. Cfr. *Annotat. nostra ad Selectas Mureti Oratt. et Epp.* p. 270. Rectius scribitur: *studia humanitatis, studia hum. et literarum; studiu bona, optima; artes humanitatis, artes, quibus ad humanitatem informamur; artes bonae, optimae, praestantissimae, liberales, ingenuae*. Sin autem artiore sensu de doctae antiquitatis studio accipiendum est, dici potest: *antiquae litterae, antiquitatis studia*. — Deinde non recte ponitur particula *nempe*: nam aut prorsus omittenda erat h. l. ut saepissime Germanica part. *nämlich* non vertenda est Latino in sermone, aut dicere debebat: humanitatis sive antiquitatis studia, veteres scriptores, antiquas literas dico. Affirmativam, non definitivam vim habet *nempe*, Germanice: *doch wohl*. Qui plura cognoscere velint de particulis *nempe, nimirum, scilicet*, consulant *Weberi* librum: *Uebungsschule* p. 503 sq. Heindorf. ad *Hor. Sat.* 1, 10, 1, et *lexic. meum Germ. Lat. s. v. Nämlich*.

64) *plurimam tam dudum salutem dixeram*] i. e. valedixeram sive eas omiseram aut saltem intermiseram; paullo insolentius quidem ita scriptum, tamen ipse Tullius semel eodem sensu dicit in Epp. ad Fam. 7, 33, 2: *Ego vero multam salutem et foro dicam et curiae vivamque tecum multum et cum communibus nostris amatoribus*, i. e. relinquam forum et curiam: neque causas in foro agam, neque sententiam in curia dicam. Modus loquendi de Graeco fonte derivatus. Cic. Att. 5, 8, 2: *At ille tibi πολλὰ χαίρειν τῷ καλῷ dicens pergit Brundisium*, i. e. Pompeius plane immemor honoris et existimationis in ultimum angulum Italiae profugit.

65) *post tot tantorumque laborum defunctiones*] Non debbat ponere extremae Latinitatis vocab. *defunctiones*: poterat scribere: Etsi enim tot tantisque laboribus defunctus s. perfunctus.

66) *Mitto ad te Nicrum meum*] Est carmen bucolicum, quod ecloga dicitur et in Burmanniana editione tertio loco ponitur. Scripsit hoc Lotich. affecta iam valetudine et Ottoni Henrico, Electori Palatino, misit. Non pigebit, credo, veteris elegantiae studiosos cognoscere versus Lotichianos.

67) *donec aliquid per otium excuderem*] Non male posuit Lotichius verbum *excudere*, quod proprie usurpatur de artificibus, qui mallei ope aliquid artificiose fingunt et formant. Virg. Aen. 6, 848: *Excudent alii spirantia mollius aera: Credo equidem, vivos ducent de marmore voltus*. Unde apud eundem Virgilium (Georg. 4, 57) ad sollertes et laboriosas apes transfertur: *Hinc arte recentes Excidunt ceras et mella tenacia fingunt*. Magis improprie Cicero de libro aliquo conficiendo ad Attic. 15, 27, 2: *Librum tibi celeriter mittam de gloria. Excudam aliquid Ἡρακλειδεῶν quod lateat in thesauris tuis*.

68) *Nolo enim, ut soror aegrota in viam se det*] Non debet offendere legentem, quod post verb. *nolo* sequitur *ut*: nam quae verba declarant, vel fieri, effici aliquid, vel operam dari, impendi, ut aliquid fiat, post se habere solent coniunctionem *ut*. Raro tamen verba *velle*, *nolle*, *nalle* ita copulantur. Cic. Vatin. 6, 14: *Volo* (ich verlange es ernst, bestimmt) *ut mihi respondeas*. Plaut. Bacch. 1, 44: *Ut ille te videat volo* (ich will es so haben).

69) *quum domi meae familiam non alam*] Propter incertam et infirmam valetudinem numquam Lotich. animum appulerat ad rem uxoriam et caelebs permansit, dum vivebat.

70) *Georgio Cracovio*] Et doctrinae elegantioris et rerum civilium prudentiae laude clarus tantum valuit gratia apud Augustum, Saxoniae Electorem, ut princeps esset consiliariorum et novum corpus legum publice conderet. At quum miserae istae et exitiales rixae et suspensiones propter cryptocalvinistica dogmata per Saxoniam gressere coepissent, Cracovius quoque ab acerrimis Lutheranae doctrinae propugnatoribus accusatus, non tantum in carcerem coniectus est, sed in tormenta etiam datus hoc supplicii genere necatus crudeliter periit a. 1575.

71) *Virtutem incolumem odimus cet.*] Horat. Od. 3, 24, 31 sqq.

72) *Elegiam, quam a me petisti*] Quarta est elegia libri quarti edit. Lips. et Burmannianae, centum et duobus distichis constans ac tenerrimae pietatis erga optimum praeceptorem intimique doloris plena. Nec tamen negandum, inesse quaedam et affecti animi et affectae valetudinis vestigia.

73) *ut aliquid per otium a me elaboratum exspectes*] Non licebat per valetudinem Lotichio quamvis Melanchthonis amantissimo huic expectationi satisfacere. Quod ponitur h. l. *elaboratum* plane Tulliano more scriptum est. Dicitur enim *elaboratum*, quod singulari diligentia et cura adhibita perficitur ab aliquo limatum, politum et laude dignum. Teneant tamen adolescentuli Latinitatis studiosi, apud aureae aetatis scriptores passivo tantum genere usurpari: participium imprimis crebro legitur apud Tullium, ut *oratio cura elaborata; diligenter elaborata oratio; orati elaboratique versus; dicendi vis a Graecis elaborata; perfectum ingenio, elaboratum industria*. Omnino autem *elaborare* (Gr. ἐπιτηδεύειν, μελετᾶν) significat: labore, sive industria et cura liberiore quadam ad certum finem, propositum pervenire, aliquid effectum dare, adiuncta notione rationis certaeque voluntatis. Dicitur ergo: *elaborare in artibus, in literis, in genere dicendi puro; in una aliqua re separatim elaborare*: iungitur etiam cum verbis: *contendere, eniti, desudare, efficere*. Cfr. Ochsner ad Ecl. Cic. p. 260. Gernhard. ad Cic. Cat. Mai. 7, 24. Kühner ad Cic. Tusc. 1, 1, 1.

74) *Paulo Luthero*] Fuit filiorum D. Mart. Lutheri tertius isque natu minimus, in lucem susceptus Vitembergae a. 1531. Mature bonarum literarum studio delectatus, quum academiae civibus ascriptus esset, in medicina tanta laude elaboravit, ut a. 1557 doctoris honores et insignia adipisceretur et paullo post in Jenensi academia professoris munus auspicaretur. Inde reversus in patriam, factus est medicus principis Ioannis Friderici, neque ita multo post a Ioachimo II., Electore Brandenburgico, ornatus est dignitate archiatri (eines Oberarztes). Tum Ioachimo mortuo Electorum Saxon. Augusti I. et Christiani I. valetudinem consilio atque arte sua tuebatur. Verum ubi Dresdae execrabiles istae suspensiones Cryptocalvinismi invaluerant et multorum, etiam proborum hominum tranquillitatem et salutem affligere coeperunt, harum vexationum pertaesus, munere sese abdicavit ac Lipsiam concessit ibique a. 1593 supremum obiit diem. Cum Paulo Luthero notitiam amicitiamque iunxerat Lotichius in ipso aetatis flore, quum studiorum causa Vitembergam pervenisset.

75) *Carmen in nuptias Illustriss. Principis Ioannis Guili.*] Legitur hoc carmen, quod erat sub nomine *epithalamium* heroicis, qui dicuntur, versibus compositum, in editione Burmanniana T. I, p. 610 sqq. in edit. Voegeliniana p. 206 sqq. ibique inter Eclogas Lotichianas numeratur. Rectius a Burmanno seiunctum est ab eclogis, quoniam non est bucolicum carmen, sed operosum epithalamium in nuptias ducis Saxon. Io. Guilielmi et Susannae Dorotheae illustriss. principis Friderici Elector. Palatini

ad Rhenum filiae. Inseruit poëta huic carmini longiori — constat sexcentis quadraginta sex versibus hexametris — genealogiam et fata domus Palatinae, ut ipse significat v. 43 sqq. ubi Calliope Musa vatem ita hortatur:

Nunc inclita dices

*Connubia Heroumque genus regumque nepotes
Ipsa ego te, sponsi repetens ab origine stirpem,
Per genus et proavos et facta ingentia ducam
Antiquae sobolis, quam nulla aequaverit aetas
Laudibus, immensum qua sol videt aureus orbem.
Hic labor, hoc studium generosis vatibus esto:
Aut Superum laudes canere, aut praeconia regum,
Et memorem factis illustribus addere famam.*

76) *egregium in promovendis ornandisque bonis artibus studium*] Quamquam saepe verbum *promovere* hoc sensu a recentioris aetatis viris doctis poni solet, tamen, quoniam idonea veterum scriptorum auctoritate caret, haud probanda est haec consuetudo. Dicendum potius: bonas artes, literas, humanitatis studia, doctrinarum incrementa iuvare, adiuvare, augere, amplificare, ornare; optimarum artium literarumque studiis bene consulere, prospicere, adiumento esse. Dicitur porro apud Suetonium et Plinium Secundum: *promovere aliquem* (Jemand zu einer Ehrenstelle befördern): melius cum Tullio: provehere, perducere aliquem ad honores; producere aliquem ad dignitatem; deferre alicui honores. Barbare autem apud recentiores dicitur interdum: *promovere in Doctorem*; *prom. in Doctores* (Doctor werden, Jemand zum Doctor machen). Cfr. Ruhnk. ad Muret. Opp. T. I p. 341. T. II, p. 466. Frotscher ad Muret. Opp. T. II, p. 137. Eichstadii Deprecat. Lat. Acad. p. q. Krebs. Antibarb. p. 641.

77) *cuiusque memoriam nulla umquam temporis oblivio cet.*] Locus Tulliana consuetudine expressus. Cic. Deiot. 13, 37: *Senatus de illo iudicia tam multa tamque honorifica quae umquam vetustas obruet, aut quae tanta delebit oblivio?* Cic. Fam. 2, 1, 2: *Quoniam meam tuorum erga me meritorum memoriam nulla umquam delebit oblivio.* Cic. Sest. 14 extr.: *Iidem consules, si appellandi sunt consules, quos nemo est, qui non modo ex memoria, sed etiam ex factis evellendos putet cet.*

78) *heroe plane divino*] De principe honorificentissime dictum est, qui res adversissimas animo ferret aequissimo, ut narratur ab historicis. Voc. *heros*, quamquam Latine poni non potest de viro eximia virtute bellica praecellente, tamen apud Ciceronem positum videmus de hominibus, qui praeter ceteros animi ingeniique bonis insignes erant: de Rep. 3, 8: *Illorum fuit heroum* (Platonis et Aristotelis) *eam virtutem excitare iacentem.* ad Attic. 7, 17, 9: *Heros ille noster Cato.* ibid. 14, 6, 1: *Antonii colloquium cum heroibus nostris* (sc. Bruto et Cassio) *pro re nata non incommodum.*

79) *Quod etsi mihi non sumam*] Nihil fere frequentius hoc loquendi genere apud Ciceronem, e. c. pr. Planc. 1, 3: *Mihi non sumo tantum iudices, neque arrogo.*

80) *conciſe*] Semel apud Quintilianum (12, 2, 11) adverbium legitur: adiectivum Tullio etiam usitatum.

81) *aut nominis mei maiorem deducere rationem*] Si quid video, scribendum est *ducere*: nam *deducere rationem nominis* parum apte dictum est: multo usitatioꝝ loquendi modus est: *rationem habere alicuius rei*.

82) *Michaelis Beutheri Iureconsulti*] Natus erat Beutherus a. 1522 Caroli-stadii, quod oppidum est Franconiae non ita procul Wirceburgo ad Moenum situm, unde oriundus erat *Andreas Bodenstein*, cuius singulari studio et cura sacra per Lutherum instaurata illa in regione adiuta et propagata sunt. Non tantum iurisprudentiae laude floruit Beuth., quum perductus esset ad stationem professoris academiae Argentoratensis, sed maiorem etiam famam consecutus est diligenti historiarum pertractatione. Exstant complures libri historici argumenti ab ipso editi, veluti Ephemerides historiae, Paris. 1531; de rebus a Carolo V. gestis. Argentor. 1572. fol. Animadverss. histor. et chronogr. Opus fastorum antiq. Rom., Fasti Hebraeorum, Atheniensium et Hebraeorum.

83) *laborem militarem etiam perpessus fui*] Stipendia ultro mereri coepit, Vitemberga cum Melanchthone expulsus a. 1546, ut supra iam narratum est, paullo ante grave Ioanni Friderico Electori prope Mühlbergam in Saxonia d. 24. m. Apr. a. 1546 commissum proelium. Ioa. Fridericus non modo victus est a Carolo V., sed una etiam cum duce Brunsvigensi captus et ex patria in miseram captivitatem abductus est in eaque quinque per annos retentus tandem a. 1552, Carolo per Mauritium Saxoniae principem fugato, in libertatem restitutus, magna tamen terrarum suarum parte amissa. Obiit a. 1557.

84) *Nimis verum est Homericum illud*] Leguntur verba Graeca Odyss. lib. 9, 411. Ibi de Polyphemo Cyclope narratur, qui non satis sanae mentis esse videbatur reliquis Cyclopibus, quoniam excaecatus a callido Ulixē questus erat, se a Nemine (fictum nomen Ulixis *Οὐτις* sciſcitantibus memoraverat) lumine orbatum esse.

85) *lethaliter decubuisse*] i. e. tam graviter aegrotasse, ut in vitae discrimine versaretur. Proprium et sollemne quidem verbum est *decumbere* de convivis, qui ad mensam in lectis cubant, interdum tamen ut simplex verbum *cubare* de aegrotantibus ponitur. Plaut. Cas. 5, 2, 9: *Senex apud te decumbam*. Sen. Ep. 96, 1: *Male valeo? Pars fati est. Familia decubuit?* De voc. *cubare* vid. Schmid. ad Hor. Epp. 2, 2, 68. Heindorf. ad Hor. Sat. 1, 9, 18.

86) *δενά συμπτώματα*] Dicitur medicis symptoma morbus a morbo profectus, vel morbi causa a morbo nata, accidens aliquod malum ex aliquo morbo generali vel particulari concitatum, priorem morbum non minuens, sed potius augens.

87) *in hac postrema mundi senecta*] Significat Cracov. miserrimum statum illorum temporum, quae non modo propter publicarum rerum turbas, verum etiam propter infestas animorum de rebus ad religionem spectantibus dissensiones rixasque

gravissima erant. Voc. *senecta* non convenit solitae orationis integritati, quamquam apud Tacitum, Suetonium Pliniumque Secundum, pro *senectute* poni solet. *Aucae* aetatis poetis usitatum erat vocabulum.

88) *respectum suum ad necessitatem publicam*] i. e. noluit Stibarus committere, ut reipublicae rationibus parum consuluisse videretur minore cura educationis propinquorum adhibita. Ceterum voc. *respectus* admatum imprimis est Livio, plerumque addito verbo *habere*, neque ante aetatem Augusteam ita usurpatum invenimus. Barbare autem scribunt, qui pro *observantia* ponunt voc. *respectus*.

89) *Quomodo se Maecenati commendatum Hor. scripsit*] Cfr. Hor. Sat. 1, 6, 59 sqq. C. G. Zumpt üh. d. Leben des Horaz u. d. Zeitfolge seiner Gedichte, namentlich der Satiren, S. 11 (Heind. u. Wüstemann's Ausg. d. Sat. d. Hor.): „*Horaz machte seinen Besuch*“ (bei Maecenas, durch Virgil u. Varius empfohlen); *schüchtern u. befangen gab er über seine bisherigen Verhältnisse und Studien Auskunft. Maecenas entliess ihn ohne bestimmte Versprechungen oder Anträge. Neun Monate nachher entbot er den Dichter wieder zu sich, und trug ihm ein Verhältniss zu sich an, welches in Rom durch den Ausdruck Freund bezeichnet wurde. Horaz nahm es an und war seitdem einer der Angehörigen und amici des Maecenas.*“

90) *benevolentiae erga Lotichium quasi heredem*] Raro quidem ita ponitur voc. *heres* improprie, nec tamen insolenter. Cic. Brut. 97, 332: *Illa vetus academia atque eius heres Aristus*. Plin. 36, 5, 4: *Praxitelis filius Cephisodorus et artis heres fuit*. Ovid. Her. 9, 110: *Cede bonis: heres laudis amica tuae*.

91) *o spes fallaces!*] Cic. Mil. 34, 94: *O frustra, inquit, suscepti labores! o spes fallaces! o cogitationes inanes meae!*

92) *παθαιρόμενοι*] Dionys. Halic. 3, 75: *καταγρότες καὶ παθαιρόμενοι τὸν ἄγχιον τρόπον*, i. e. vociferantes et dolorem efferatum prae se ferentes. Nam *παθαίνεσθαι* dicitur maxime de hominibus, qui nimium indulgent maerori et luctui.

93) *Georgium Sabinum*] Verum nomen hominis elegantissimi erat *Schüler*, postea Latino nomine se appellari voluit *Sabinum*. Natus in oppido Borussiae Brandenburg a. 1508, non minus ingenii quadam felicitate, quam multa et exquisita eruditione insignis, primum invitatus in academiam Francofurti - Viadrinam non sine laude et bonas literas et historiam tradebat; deinde priore statione relicta migravit Regiomontium, ubi in iisdem studiis feliciter elaborabat. Nominis autem famam praecipue adeptus est Latinis carminibus, quorum elegantia et suavitas tanta erat, ut non immerito Nasoni aequipararetur. Obiit a. 1560. Opera Sabini prodierunt primum Argentorati 1554 et Lips. 1606. De vita Sabini scripsit P. Alhini, Vitemb. 1558. Cfr. M. F. Seidel: Bildersaal Brandenb. Gelehrten, p. 48 sqq.

94) *δομὸν ἡμιτελῇ καὶ ὀρφανὰ τέκνα*] Homeric et Hesiodea verba sunt: Il. 2, 701 commemoratur Protesilai *δομός ἡμιτελής*, i. e. domus patre orbata, ubi sola vidua relicta est. Minus recte alii interpretantur de domo nulla prole aucta. *ὀρφανὰ τέκνα* leguntur apud Hesiod. Opp. et Dies. v. 328.

95) *essemus ferrei*] Cic. Fam. 15, 21, 4: *Ferrous essem, si te non amarem.* ad. Attic. 13, 20, 1: *o te ferreum, qui illius periculis non moveris.* Lael. 23, 57: *Quis tam esset ferreus, qui eam vitam (scil. solitariam) ferre posset?*

96) *quasi caput obvolvendum*] Solebant enim acerbo in luctu veteres pallio vel velo tegere caput, ut liberius indulgere possent dolori. Cic. Or. 22, 74: *Pictor ille vidit, obvolvendum caput Agamemnonis esse, quoniam summum illum luctum penicillo non posset imitari.*

97) *tantum abest, ut — ut maius etiam*] Ita veteri consuetudine recte scriptum est: nam sine ulla idonea auctoritate recentiores quidam Germanico more locuti sunt: *tantum abest, ut — ut potius.* Cfr. Lexic. meum Germ. Lat. s. v. *Fehlen.* Zpt. §. 779. Krüger. Gr. Lat. §. 594. A. 4.

98) *Et quae praeterea sunt in Theognideis*] Tribuuntur vulgo prisco illi sapienti poëtae Theognidi, qui est in Gnomicis Graecis, *παραινέσεις*, i. e. exhortationes, sive praecepta vitae bene recteque instituendae. Illa verba continentur v. 680 — 681. Vixit autem Theognis Ol. 58, a. Chr. fere 546, Solone quinquaginta circiter annis minor aetate. Parens autem elegiae gnomicae fuisse fertur. Megara patria relicta Thebas venit. Praeter *παραινέσεις* scripsit *ὑποθήκας παραινετικάς* et *γνώμας δι' ἐλεγείας*. Suida teste his mille octingentos versus composuit, ex quibus supersunt mille ducenti octo et triginta. Commendantur autem et sermonis simplicitate ac suavitate, et praeceptorum gravitate atque veritate. Neque tamen cuncti versus elegi, qui Theognidis nomine feruntur, a Megarensi illo vate originem ducunt, sed a compluribus diversae aetatis poëtis conditi sunt. Diligentissime editi sunt cura Brunckii (Argentor. 1784), Henr. Schaeferi (Lips. 1817) et Imm. Bekkeri, (Lips. 1815).

99) *Ioannes Posthius Germersheimius*] Et ingenii non mediocris, et multae eruditionis et pietatis maxime laude erga praeceptorem Lotichium, cui erat in paucis dilectus, illo tempore, ubi vita excessit, vates suavissimus, Heidelbergae vivebat eiusdem artis, quam Lotichius profitebatur, studiosus ac peritus, praeterea Musarum amicus et sacerdos. Morienti magistro lumina pressit, exsequias defuncti procuravit et una cum amicis optimi Lotichii corpus humeris impositum ad divi Petri in suburbio aedem deportavit.

100) *illius ex rebus humanis excessum*] Apud Tullium ponitur eodem fere modo, Fin. 3, 15, 60: *In his esse et excessum e vita et in vita mansionem.* Tusc. 1, 12, 27: *Unum illud erat insitum primis illis, quos cascos (i. e. veteres) appellat Ennius, esse in morte sensum, neque excessu vitae sic deleri hominem, ut funditus interiret.* Apud argenteae aetatis scriptores usurpatur pro morte, obitu.

101) *dexteritate*] Rarum vocabulum, quod his positum legitur apud Livium (25, 13; 37, 7) et apud Gellium (13, 16, 1): respondet fere Germanico *Anstelligkeit*, *anstelliges*, *geschicktes*, *gewandtes Benehmen*; ergo spectat minus ad mentis animique indolem et facultatem. Oppositum est voc. *sinisteritas* (Gr. *σκαϊότης*), *linkisches*, *unbeholfenes Wesen*; vid. Plin. Ep. 6, 17, 3; 9, 5, 2. Tribuitur dexteritas homini,

qui apte, scite, prompte aliquid facere instituit atque perficit. Recentiores non raro perperam ponunt de ingenii felicitate et eruditionis copia et elegantia.

102) *lucis fruitionem*] Nullum est voc. *fruitio*: scribere debebat: *fructum* vel *usum*.

103) *pauca carmina*] Proveciore aetate parum probata est Posthio haec elegia, quam subito et iuvenili ardore abreptus scripserat: quapropter viginti quinque annis post emendatior ab ipso edita est Wirceburgi, ut testatur ipse epistola ad Hagium data, quae est in Hamb. Ms. Epist. 45.

104) *Georgius Fabricius Chemnicensis*] Natus erat G. Fabricius (Germanicum gentis nomen erat *Goldschmied*) in oppido Saxoniae Chemnitz, d. 23. m. Apr. a. 1516, homo non minus ingenii praestantia accurataque veterum literarum scientia clarus quam singulari animi probitate et candore spectatus. Porro in patriae praecipue historiae cognitione egregie versatus et in poësi Latina tantum profecerat, ut Lotichius haud iniuria eius facultatem hoc in genere collaudaret. Optime autem meritis de schola provinciali Misenensi, quam inde ab a. 1546 usque ad a. 1571 felicissime regebat. Obiit in Afraneo d. 13. m. Iul. a. 1571: vitae annos expleverat quinquaginta quinque, septimanas undecim et dies quattuor. Epitaphia, quae ipse sibi vivus proposuerat et sepulcro suo inscribi voluerat, haec sunt:

Fabricius studuit bene de pietate mereri;

Sed quicquid potuit, gloria, Christe, tua est.

Σοὶ χάριν οἶδα θεῷ εὐσπλάγγνω, ὃς μ' ἐδιδάξας

Ἐν βιοτῇ τε θανῆιν, ἐν θανάτῳ τε βιοῦν.

A Maximiliano II. Imperatore non solum appellatus est Fabricius *poëta laureatus*, sed etiam cum suis posterisque omnibus nobilitatis insignibus ornatus, isque honos in comitiis Spirensibus a. 1570 d. 7. m. Decbr. egregio viro habitus est. Ex libris, quos pro ea, qua erat industria et assiduitate studiorum satis multos condidit, memorare iuvat: Res Misnicae, Basil. 1569. Saxonia illustrata Lips. 1600. Res Germaniae, et Saxoniae memorabiles ibid. 1609. Utrumque opus postumum. Praeterea et Graecos et Romanos scriptores vel emendatiores, vel annotatione illustratos edidit, neque exiguum carminum Latinorum copiam scripsit: De vita, factis et laudibus eximii viri narravit I. D. Schreber, Lips. 1707, diligentius etiam Detlev Carol. Guil. Baumgarten-Crusius, Misena, 1839.

105) *in mari Ligustico*] Appellabatur apud Graecos Liguria, quae erat pars Galliae Cispadanae, *Λιγυστική*, inter fluvios Varum et Macram sita. Inde mare Ligusticum pro mari Etrusco, Tyrrheno dictum est.

106) *Bononiense toxicum*] Cfr. Vita Lotichii p. 27.

107) *Noli putare Diabolum segnem esse*] Non est, quod legentem offendant, serio commemorari h. l. Diabolum, si meminerit, Lutherum etiam idem sensisse de malorum omnium, quae his in terris reperiuntur, parente et auctore.

108) *Misena, e ludo illustri*] Schola Misenensis sive Afrana, sive Afraneum — a *Diva Afra*, cui coenobium sacratum ibi erat, nomen duxit — sub Mauritii principis auspiciis condebatur d. 3. m. Iul. a. 1553, eodem anno, quo Schola Portensis bonarum literarum studiosis aperiiebatur, i. e. d. 21. m. Maii, cuius laetissima tertia saecularia rite quattuor fere abhinc annis celebrata sunt. Tertia Schola provincialis, primum Martisburgi (1543), deinde Grimae (a. 1550) ab eodem Electore Mauritio Saxonicae iuventuti liberalium studiorum amanti constituta est. Afrana schola primum habuit Rectorem *Herrmannum Vulpium* (Germ. Fuchs), cui triennio post successit in munere gravissimo administrando Georgius Fabricius Chemnicensis. Cfr. Baumgarten-Crusius in Vit. Fabr. p. 52.

Coronidis instar adiungamus pauca quaedam Lotichiana poemata, quae neque discipulis nostris, neque aliis Musarum amicis ingrata fore confidimus.

Silentio hic praeterire non possumus, elegias P. Lotichii Secundi eleganter et accurate iisdem metris Germanicum in sermonem conversas esse a doctissimo viro, Ioannei Hamburgensis olim Professore, *Ernesto Aenotheo Köstlin*, qui praematura morte interceptus obiit a. 1824. Liber ita inscriptus est: *Des P. Lotichius Secundus Elegieen. Aus dem Lateinischen übersetzt von Köstlin, Professor am Johanneum in Hamburg. Herausgegeben von Friedr. Blume, Professor der Rechte in Halle. Verlag von Hemmerde u. Schwetschke, Halle 1826.* Digna profecto est haec interpretatio, quae diligentius cognoscatur et cum ipsis auctoris verbis comparetur.

Delecta quaedam P. Lotichii Secundi Carmina.

Amico suo Hagio suavissimo.

O iucunda meae pars consuetudinis, Hagi,
Candidius pura qui nive pectus habes.
Ecquid adhuc vitreas spumantis ad Albidos undas
Es memor absentis, dulcis amice, mei?
An quia pertentant Veneris tibi pectora flammae,
Forsitan est cordi nunc tibi solus amor?
An quia tot restant veteresque novique sodales,
Pars ego sum mentis nulla repente tuae?
Non dubito quin sim, pia nam te sanctius uoo
Suavis amicitiae foedera nemo colit.
Unicus ad lustrum (memini) nunc additur annus,
Quo primum coepit tempore noster amor.
Lanus ubi prisci Mavortis nomen adeptae
Moenia dividua separat urbis aqua.
Interea patriae bello turbante quietem
Disiuncti fuimus corpore, mente simul.
Donec sub gelida sita terra Lycaonis Arcto
Leucorea rursus iunxit in urbe duos.
Dulce tuum testor caput et, quas iunximus una,
Pignus amicitiae tempus in omne, manus:
Te mihi prae cunctis dilectum semper amicis,
Te magis in terris dulce fuisse nihil.
Nescio, quis genius trahit ambos, cordaque iungit:
Quisquis is, humanum continet ille genus.
Non sine amicitia pondus mihi divitis auri,
Nec Tagus aurifero quod vehit amne, velim.
Alter opes quaerat, quem dira fatigat habendi
Temporibus cunctis non satianda sitis:
Possideant alii secundi iugera campi,
Arvaeque coniunctis plurima bobus arent.

Sat mihi, si fidae contingat mentis amicus:
Vincit enim cunctas unus amicus opes.
Rebus in adversis misero solatia praebet
Laetitiae consors sorte favente tuae.
Hoc ego nunc vobis, o dulcis amice, relictis
Sentio, seu foveam gaudia, sive gemam.
Nullus adest (heu, heu!) seu forsán seria curem,
Sive iocos agitem pectore, nullus adest.
At mihi dum licuit tecum consumere tempus,
Quam brevis hora mihi, quam brevis annus erat!
Quam mihi tunc curas multus relevabat amicus!
O bona convictus membra sacerque chorus.
Praecipue tu fraude carens et amabilis Hagi,
Hagi, delictum dulce decusque meum:
Te mihi virginei praeclara modestia vultus,
Et carum in Musas reddidit acer amor:
Quodque potes rapidi componere pectoris iram,
Quodque tacere suo tempore, quodque loqui.
Hei mihi, quod tecum iam non conceditur ultra
Vivere, nunc animi parte carebo mei.
Ah lacrimosa dies, qua te, iucunde, reliqui,
Qua tibi supremo diximus ore, vale.
Ergo peregrinas gentes et regna videbo
Gallica, te longas non comitante vias?
Raraque tam longe mihi littera missa salutem,
Unde quæam de te certior esse, feret.
Forsan et externas (absit tamen omen) in oras,
Te sine, me miserum! non rediturus eo.
Quicquid erit, patiar, non sum rudis ante malorum;
Omne feram, quicquid fert miserandus homo:
Et seu terra meum tumulo premet hospita corpus,
Seu dabitur reditus posse videre diem:
Te sub humo pulvis, te semper amabo superstes,
Parsque mei semper maxima cordis eris.
Tu quoque, si mereor, nostri memor omnibus annis
Esse valis, menti par io amore meae.
Nomen et absentis referes ubicumque Secundi,
Hoc precor, hoc dicas, Christe, tuere caput.

Ad Melchiorem Zobellum Compatrem.

A militia dehortatio.

Sic igitur dulces potuisti linquere Musas,
Martiaque imprudens castra, Zobelle, sequi?
Et tibi iam tanti est artes cognoscere belli,
Et fera quo soleant proelia more geri?
Scilicet a teneris ut mercenarius annis
Vulnera consuescas servitiumque pati;
Et subeas toties manifesta pericula vitae,
Dum cava terrificis ictibus aera tonant.
Quam bene pugnabant olim, cum moenia nondum
Turribus aut fossis oppida cincta forent:
Machina nec volucres torqueret aënea glandes,
Sed gererent partes ensis et hasta suas!
Tunc clarum tibi magna parens Germania nomen,
Nostraque libertas sanguine parta fuit.
Nunc tua dilacerant inimicae viscera gentes,
Vendis et externis in tua damna fidem.
Ante tuos oculos ferro grassatur et igni
Barbarus et Geticis Hunnus oberrat equis.
O pereant turres, fossaeque et inutile vallum!
Pax ades, aut virtus illa paterna redi.
Me iuvat in studiis consumere dulcibus aevum,
Signaque Musarum prosperiora sequi:
Et quae sera legat nostri non immemor aetas,
Carmina tranquillae fingere pacis opus.
Sed tamen ausus eram validis quoque nuper in armis
Magnanimi custos ad latus ire Ducis.
Iam caput indueram galea frameamque gerebam,
Aptus et huic lateri quilibet ensis erat.
Sed Dea, Castaliis quae maxime praesidet undis,
Non tulit et vultus constitit ante meos.
Constitit et tenerae florem miserata iuventae:
Ergo, puer, fies tu quoque miles, ait?
Torta quid imbelles urguet lorica lacertos?
Quid gravat aeratae cuspidis hasta manum?
Iam poplatrices inter potes ire catervas?
Iam longae patiens esse sub axe viae?
At (memini) nuper fera bella timere solebas,
Classicaque insuetis auribus horror erant.

Unde novus rigor hic? unde illa ferocia venit?
Mitis honoratae pacis amator ubi es?
Sed, puto, praeda iuvat, spoliisque Aquilonis onustum
Sublimem niveis Fama reducet equis.
Quin meliora tibi solvemus praemia Musae,
Praemia per raras ante petita manus.
Longa dies Regum turres consumit et aurum,
Et spolia in templis exuviaeque ruunt.
At decus ingenii durat vatumque labores.
I nunc et partas sanguine confer opes.
Adde, quod incerto Mars proelia turbine versat,
Casus et instabiles miscet utrimque vices.
Ah teneris maius ne quis juveniliter annis
Audeat et vires consulat ante suas.
Tempus erit, Pindum superans cum Caesar et Haemum
Figet in Odrysiis celsa tropaea iugis.
Tunc si tantus amor belli, si tanta cupido est,
Acer in adversos ense licebit eas.
Terribiles nunc linque tubas et castra, nec auctor
Ante diem propera funeris esse tui.
His ego commotus dictis vultuque monentis,
Ite statim, dixi, castra tubaeque, procul.
Rursus et Aonius calor in mea pectora venit,
Ipsaque devovi quae prius arma tuli.
Difficile est tacitos naturae abscondere motus,
Ponere difficile est quae placuere diu.
Scilicet ingenuas mansuescunt corda per artes,
Nec rigidos mores esse Thalia sinit.
At tu, quandoquidem rerum sic impetus urguet,
Et novus accendit pectora laudis amor:
I, tua quo, Zabelle, vocat te fervida virtus,
Et grave militiae fer patienter onus.
Ne tamen, ah! densos vitae contemptor in hostes
Irrue, scis quam sit dulce redire domum.
Tunc mihi narrabis, validas quis ceperit urbes
Primus et hostiles fregerit ultor opes.
Qualiter adversis concurrant agmina signis,
Altaque tormentis moenia quassa ruant.
Et quaecumque illis exhausta pericula terris;
Hunc celeri portet Lucifer axe diem.

H

Inferiae ad tumulum Ulrici Hutteni.

Adloquor Hutteni manes cineresque poëtae,
Quos brevis in mediis insula claudit aquis.
Este salutati manes, haec summa laborum est;
Alma quies vobis sit, nec arena gravis.
Accipe cum violis lacrimas, tibi fundimus illas,
Morte tua felix, maxime nuper Eques.
Felix morte tua, patriae non fata ruentis,
Cuius eras vindex, non tot acerba vides.
Patria post obitus tibi contigit altera coelum,
Maior et in cunctos sit tua fama dies.
Fortunate cinis, venerande nepotibus ipsis,
Aeternum salve perpetuumque vale.

Ad Philippum Melanchthonem.

De obitu Clarissimi Viri Iacobi Micylli.

Flebilis a Nicro gelidum miraris ad Albim
Cur veniat passis Musa, Philippe, comis:
Nec praecincta gerat viridanti tempora lauro,
Vestis inaequales sed tegat atra pedes.
Scilicet hic lacrimis color est et luctibus aptus;
Hic habitus maesti pectoris esse solet.
Luna bis implevit crescentem cornibus orbem:
Bis radios verso condidit orbe suos:
Ex quo, Vangionum cultis digressus ab oris,
Liquisti patriae rura propinqua tuae.
Tristibus interea Lachesis nos dura fatigat
Casibus et laetos non sinit ire dies.
Utque alios taceam, quos functos munere vitae
Abstulit immiti Parca severa manu:
Ille decus Phoebi, Musarum cura, Micyllus
Occidit, heu fallax et breve vita bonum!
Haec igitur meta est nostrorum summa laborum?
Hac miseri vates conditione sumus?
Tertia post actas Iani lux venerat Idus,
Quam tulerat fuscis Lucifer ortus equis:
Cum, velut occultas volvens sub pectore curas,
Imposuit tristi languida membra toro.

Parva mora est, pectus quatit arida tussis anhelum,
Accensamque levant pocula nulla sitim.
Principio succos tamen omnes ille perosus
Insuetam medicae respuit artis opem.
Mox rapidis imos torreret febribus artus
Sensit et angustas gutturia esse vias.
Heu mihi, nil artes serae iuvare medentum;
Artificum doctae nil potuere manus.
Ergo iaces, patriae decus, o clarissimo vates,
Et Graiae et Latiae gloria summa lyrae?
Nec potui, cum te premeret iam serior aetas,
Praemia pro meritis solvere iusta tuis?
Tu mihi quaerenti sacras per inhospita Musas,
Ad iuga monstrasti primus amoena viam.
Nam leve seu velles elegis deducere carmen,
Seu magis Heroïs altius ire modis:
Sive lyram digitis percurrere, sponte fluebant
Molliter in numeros verba diserta tuos.
Ergo quod Aonii secretas fontis ad undas,
Plena puer Phoebæ pocula dante hibi:
Longius et cultos Sophiæ digressus in hortos,
Florida de lauroserta virente tuli.
Me fateor debere tibi: cinerique rependam
Omnia, quæ pietas suadet amorque tuo.
Ante Nicer Ligeri, Rhodano miscebitur Ister,
Nec rapidus liquidas Rhenus habebit aquas:
Quam ventura dies, aut ulla redarguat aetas,
Effluxisse animo tot benefacta meo.
Nunc precor, has lacrimas, atque hæc suspiria tantum,
Care parens, veri signa doloris habe.
Mox ubi fecundas mulcere Favonius auras
Coeperit et gremium læta resolvat humus:
Tunc flores ad busta novos violasque recentes
Semper odoratas veris habebis opes.
Sic quoties tumultu via proxima ducet euntes,
Incola seu faciat, sive viator iter:
Nullus erit, qui non repetens suspiria dicat:
Sit requies cineri paxque, Micylle, tuo.
Quid etiam, quam læta patet Germania, vates
Passim morte tua carmina læsta canent.

Qualia ramorum densa Philomela sub umbra
Concinit, aut moriens qualia tristis olor.
Te procul ad Viadri ripas lugebit ademptum,
Gloria Castaliae prima Sabinus aquae.
Claraque percensens operum monumenta tuorum
Stigelius, dulces fundet ab ore modos.
Parque senex studiis et par Camerarius annis
Pauca, sed in laudes concinet apta tuas.
Vos quoque consortes patriae, mea turba, sodales,
Ausonis in gremio quos fovet ora suo:
Quorum flexibiles errant per tempora myrti,
Et lateri semper candidus haeret Amor:
Seu vada Medoaci colitis, seu Felsina mater
Praebet in Aemiliis otia grata iugis:
Fama per aërias cum nuncia venerit Alpes,
Flebitis argutae plectra tacere lyrae.
Heu spes fallaces et mens improvida vatum,
Qui stabilem vitae creditis esse moram!
Quid prodest totas hiberno sidere noctes,
Quid studiis longos continuasse dies?
Si tamen in tenebris opera interrupta iacebunt,
Musaque cum domino paene sepulta suo est?
Vester honos agitur, mites Heliconis alumnae:
Vatibus a sacris hoc prohibete malum.
Tu quoque (nec dubito) numquam patiere, Melanchthon,
Scripta tot aeterna nocte situque premi.
Ante meos oculos imisque in sensibus haeret
Ultima digressus hora, Philippe, tui.
Quanta pium (memini) mulcebant gaudia pectus!
Quantus in amborum mentibus ardor erat!
Felix ante obitum cui saltem fata dederunt
Aspectuque tuo colloquioque frui.
Scilicet haec secum durae solatia mortis
Atulit ad manes Elysiumque nemus.
Nec decet aut fas est, nos illum flere sepultum
Amplius et lacrimis ponere nolle modum.
Ille quidem dulces auras et amata reliquit
Lumina, sub gelida contumulatus humo:
Fama tamen superest et totum nota per orbem
Gloria, Castaliae quam peperere deae.

Nec tua longa dies delebit scripta, Micylle;
Iuris in ingenium mors habet atra nihil.
Adde, quod ereptum terris pietasque fidesque
Ante Deum coelo sideribusque locant.
Non levis ambitio, non impius ardor habendi,
Nullus in elato pectore fastus erat:
Provida sed virtus et flore nitentior omni
Candor et innocua cum pietate fides.
Ipse ego quae vidi referam, quaeque auribus hausi,
Solamen nostris dulce piumque malis.
Iam mortis prope tempus erat, volucerque silenti
Pegasus Hesperias nocte subibat aquas:
Pegasus, unde sacri latices Aganippidos undae:
Vatis et occasus sideris unus erat.
Ergo ubi sensisset labi per viscera mortem,
Haec dedit in maesto verba suprema toro:
Fata vocant moriorque lubens, valeatis amici;
Regia siderei me vocat alta poli.
At tu, Christe, novae qui nobis gaudia vitae
Reddis et in supera das regione locum,
Huic abeunti animae placidam largire quietem,
Ne mihi sit pretium mortis inane tuae.
Me liquor ille, tuo stillans e vulnere sancto,
Abluat, hos aestus, hanc levet ille sitim.
Dixit et in tennes migravit spiritus auras,
Et placidus clausit lumina victa sopor.
Et quis adhuc dubitet, coelesti sede receptum,
Sidera sub pedibus celsa videre suis?
Illic aut obitus astrorum spectat et ortus
Quoque suum Phoebus tramite currat iter:
Aut cupido primae complexu coniugis haerens
Fata senectutis narrat acerba suae.
Seque tot aerumnis gaudet curisque solutum,
Amplius haud ullas posse timere vices.
O ubi plena sacro manat torrente voluptas,
Verus ubi pleno fonte redundat amor.
Salve care parens, alti novus incola coeli,
Non mihi, qui genuit, care parente minus.
Tecum delicias et gaudia nostra tulisti,
Quae nulli poterunt restituere dies.

Haec ego, dum flentes comitamur funus amici,
Flebilibus cecini pauca, Philippe, modis.
Plura dolor prohibet: salve cultissime vates,
Inque beatorum pace, Micylle, vale.

*Ad Georgium Cracovium Iureconsultum,
in obitum Philippi Melanchthonis.*

Dum tepet apricus, Zephyris spirantibus, aë,
Blandaue purpurei tempora veris eunt:
Almaque fecundo se vestit gramine tellus,
Arbor et umbrosas induit alta comas:
Errabam Nicri secessus inter amoenos,
Mollis adhuc vitreo rore madebat humus.
Prata videns circum, florum mirabar honorem,
Lenis ab herbosis dum strepit aura iugla.
Grata salutabant orientis lumina solis,
Dulce viatori mane levamen, aves:
Nuncia quum luctus tua venit epistola, Craco,
O quoties lacrimis humida facta meis.
Sic igitur moriens, sic, o divine Melanchthon,
Funere perturbas gaudia nostra tuo!
Raptus es, heu (nec vana fides) tumultumque recentem
Attonitus muta praeterit Albis aqua.
Scilicet haec miseris deerat sors ultima rebus;
Hic cumulus nostris debuit esse malis.
Deseris insanis puppim, bone rector, in undis;
Nutat et in medio fluctuat illa mari.
Te sine nil laetum nobis nec amabile quidquam;
Delicias mundi sustulit una dies.
Morte tua coeli facies mutata sereni,
Terraque vix natas maesta recondit opes.
Pastoresque sonant vacuos lugubre per agros,
Atraque mutato sidere squallet hiems.
Ipse ego, qui viridi redimitus tempora myrto
Laetus odorati tempore veris eram,
Fingebamque tuas quae possent ire per aures,
Tutaque iudicio docta per ora tuo,
Nunc studium Musasque omnes lucemque perosus,
Carmina lugubri concino maesta lyra.

Haec cineri suprema tuo sint munera, quamvis
 Gratia par meritis non queat esse tuis.
 Nec mihi spes aequare tuae praeconia laudis;
 Arduus ingenii divitis ille labor.
 Qui volet, is Libycae numerum subducatur areae,
 Cum rapidum Pleias turbat aquosa fretum.
 Sat mihi si nostrum dolor hic testetur amorem,
 Meque obitu gemitus non tenuisse tuo.
 Nam licet occiduo traherem sub candidae vitam,
 Vespere qua lassus Sol iuga demit aquis:
 Sen populos inter Phoebi quos inficit ignis,
 Sidera, quos extra nostra iacere ferunt:
 Has tamen inferias quocumque sub aethere ferrem,
 Et memor ignoto staret in orbe lapis.

Salve magne parens, alti nunc aetheris haeres,
 Et fruire aeternis, quae tibi parva, bonis.
 Discipulique tui vocem cognosce supremam,
 Nec pietas cineri sit gravis ista tuo.
 Terra tuum violis ornet lauroque sepulcrum;
 Floreat aeternis urna beata rosis.
 Ossaque tranquilla semper tua sede quiescant;
 Semper ad Albiacas vox tua vivat aquas.
 Hoc precor, his saltem mundi sator annue votis;
 Ipse vagi curam, suscipe, Christe, gregis.
 Per nomen, venerande, tuum nostramque salutem,
 Sanguine quae miseris est reparata tuo:
 Perque tuos, dum corpus erat mortale, labores,
 Per maiestatem numinis, oro, tui.
 Extremae per dira, precor, ludibria mortis,
 Respice desertas, optime pastor, oves.
 Respice nos, tenues quum spiritus ibit in auras,
 Summaque quum terris fulserit illa dies,
 Qua tuba per trepidas sonitum dabit horrida nubes,
 Hocque triplex mundi flamma resolvat opus.
 Et bene habet: nec enim, genitor dulcissime, longe
 Auguror, adventus tempus abesse tui.
 Interea laudesque tuas nomenque canamus,
 Tu modo da dulci, Christe, quiete frui.

Ad Ioachimum Camerarium, Papebergensem.

*De obsidione urbis Magdeburgensis. *)*

Si vacat arcanis aures praebere querelis,
Nec data per laevas omina spernis aves:
Accipe, quae primis, Ioachime, cadentibus astris,
Accipe quae vidi, cum foret orta dies.
Nox erat et placidos spargebant sidera somnos,
Quos levis aëria devehit aura via.
Plaustraue Maenaliae dum custos flecteret Ursae,
Somnia sunt curas haec imitata meas.
Flumen erat, dubito fuerit num Rhenus an Ister,
Spumifer aut Albis, sed reor Albis erat.
Stabat arenoso vetus urbs in margine ripae,
Omne cruentato milite cincta latus.
Castraque spectabat virgo de moenibus altis:
Fallor, an in laeva sarta fuere manu?
Flebat et invitis miscebat fletibus iram,
Turrigero longas vertice scissa comas.
Ergo fremens, quis me manet exitus, inquit, an ultra
Sors mea quo tandem progrediatur, habet?
En, ego quam fovi tot saecula fortiter urbem,
Nobile cui de me nomen habere dedi;
Efferus ex imis evertere sedibus hostis
Nititur et veniae ius superesse negat.
Hic pietatis honos? ea libertatis amatae
Gratia? quid fieret, si scelus ausa forem?
Prosit et excuset, quod sum mihi conscia recti,
Et caput in patriae nulla quod arma tuli.
Sed prodesse parum est: labes hinc prima malorum,
Hoc miserae, (verum si profitemur) obest.
Moenia debueram natalia prodere, texi:
Fida nec innocuis civibus esse, fui.

*) Memorabilis admodum est haec elegia propterea, quod continet quasi vaticinium eius calamitatis, quae centum fere annis post (a. 1631) accidit miserandae urbi Magdeburgensi per atrocissimos belli duces, Pappenheimium et Tillyium. Cuius cladis historiam diligenter narravit cognatus poëtae, Ioannes Petrus Lotichius, in opere, quod scripsit de rebus Germanicis, cap. 6, lib. 37. Cui narrationi addita est elegia eiusdem argumenti, sed haud comparanda cum elegantissimo carmine patrum, P. Lotichii Secundi. Inscriptio nostri carminis postea ab aliena manu addita nobis videtur.

At decus hinc nostrae quondam meruere puellae,
Ad quas et populi summa relata sui.
Gratia vindicibus iam nulla rependitur armis;
Cum tulerint aliae praemia, plector ego.
Quid faciam? qua spe nitar? quo lumina flectam?
Unde petam fessis perdita rebus opem?
Non mea connubiis operatur in urbe iuventus;
Pace bona casti gaudet Amoris opus.
Squalida vastatis apparent frugibus arva:
Hostis ab agricola non sinit arva coli.
Nec lego purpureos inserta recentia flores:
Non mihi flos pratis mollibus ullus hiat.
Funera bis vidi campis indigna meorum:
Damna bis adverso tristia Marte tuli.
Hei mihi, qualis erit (quod abominor) exitus urbis,
Concidet hostili si reserata manu?
Quis tenerum pavidæ latus hauriet ense puellæ?
Virginitas cuius praeda latronis erit?
Haec oculi quaecumque vident, cinis omnia fient;
Utraque dicetur flebile ripa solum.
Ergo dies veniet, qua moenia nulla tuebor,
Parvaeque restabit nominis umbra mei.
Quaque fuit murus, terram proscindet arator,
Urbsque sub his, dicet, collibus alta fuit.
Quid gravius, victore Geta, miseranda tulissem,
Caesare quam magno bella gerente fero?
Atque utinam saevi potius mea viscera Thraces,
Persaque et extremus dilaceraret Arabs!
Hoc tamen infelix casus solarer acerbos:
Vulnera cognatae sunt graviora manus.
Maiorum tumulos sacrasque Tuistonis umbras
Testor et haec tacito sidera fixa polo,
Me servasse fidem! Si mentior, ultima numquam,
Quae patior, tantis hora sit ulla malis.
Et tamen ut furiis insurgit atrocibus hostis,
Si libet, in cineres saeviat ille meus.
Herbiferae valles gelidique in vallibus amnes,
Quicquid et in terris dulce relinquo, vale.
Este mei memores ripae Nymphaeque sorores;
Longa mea in vestris regna fuere locis.

Plura querebatur: nostro sed protinus omnis
Corpore defluxit somnus et orta dies.
Maestus et obscurae turbatus imagine noctis
Sub matutini lumina solis eram.
Montis inaccessi radicibus adiacet imis
Lucus, ubi variae consociantur aves.
Est sacer arbustis vastisque recessibus horror,
Per medium raucae volvitur amnis aquae.
Hic trepidae speciem repetens in valle quietis,
Ergo quod (aiebam) somnia pondus habent?
Cur nimium memini? verisque simillima vidi?
Languidus aurora cur oriente fui?
Dum queror et variis turbatus obambulo curis,
Mobilis arboreas impulit aura comas.
Ecce quatit rapidis Iovis armiger aëra penais,
Albus et incurvis unguibus haeret olor.
Nulla fuga est capto: spectantque silentque volucres,
Aspera dum fulvae praepetis arma timent.
At vigil, auroram qui cantibus evocat, ales
Audet ab aëriis obviis ire iugis.
Tunc volucer saevas exercitus undique pugnās
Suscitat: alarum plausibus antra fremunt.
Interea removent subeuntia nubila solem
Praesagique micat fulminis igne polus.
Terreor et vanos reor haec quoque fingere somnos,
Sed patula vigilans ilice nixus eram.
Mox paucae redeunt et ovantes sole reducto,
Paullatim molli pace fruuntur aves.
Et nive candidior, veluti iam fata vocarent,
Fundit olor dulces ad vada nota sonos.
Protinus exclamo: Superi mea visa secudent,
Inque Notos, quicquid triste minantur, eat.
Nec minus indigenis voveo sua munera Nymphis,
Et palmis haustas libo duabus aquas.
Haec tibi, cui fas est casus aperire futuros,
Carminibus volui non reticere meis.
Plura quidem vidi, sed quae celanda putavi;
Valle sub arcana cetera quercus habet.

Ad

Georgian Fabricium Chemicensem.

Mitis et Aonidum studiis excolte Georgi,
Carmine cui dulci Musa placere dedit:
Forsitan unde tuas veniant miraris ad aedes,
Quae legis ignota verba notata manu.
Illa tibi mittit, quamvis properata, Secundus:
Da veniam, tempus non habuere suum.
Venimus in geniale solum Misenidos orae,
Tectaque Leucoreae liquimus alta scholae.
Hinc loca terrigeno passim secunda metallo,
Et Salae liquidas inde petemus aquas:
Cuius ad herbosas hoc tempore tristia ripas
Carmina Stigelius flebile ludit opus.
Te quoque, qui Phoebi doctis caput artibus effers,
Magna, sacer vates, cura videre fuit:
Ad celebrem quoniam fama praenovimus Albim,
Quanta sit ingenii gratia lausque tui.
Legimus et populos et quas lustraveris urbes,
Dum numero cantas regna Latina gravi.
Cras genetrix lucem cum Memnonis ora reducet,
Tempus erit coeptas rursus inire vias.

Elegia in obitum

Petri Lotichii Secundi,

Medici et Poëtae Clarissimi,

Auctore

Georgio Cracovio Iurecons.

Heu fama infelix, Rheni iam sparsa per agros
Pectora cur toties nostra dolore replet?
Nuper doctiloqui narrabas fata Philippi,
Qui vir perpetuo vivere dignus erat.
Et nunc Lotichii praestantis prodere vatis
Audes fata? nimis nuncia dura mihi.
Conquerar an sileam? tristem mihi Spira dolorem
Bis peperit: posthac Di meliora ferant.
Optima quaeque prius rapit inclementia mortis,
Ingeniis semper dira minata bonis.

Sic quoque Lotichius mediae sub flore iuventae
Occidit iste suum (proh dolor) ante diem.
Multos progenuit Germania culta poëtas,
Quos omnes longum commemorare foret.
Multos Ausoniae, multos quoque Gallica tellus
Ingeniis gaudens utraque terra suis.
Lotichio at palmam Musae tribuere Secundo;
Hic vatum princeps et Coryphaeus erat.
Stigelius mihi testis erit testisque Sabinus,
Lumina Pierii quos reor esse chori.
Sic tu censebas studiis excolte Micylle,
Audi ex ore hoc, sancte Philippe, tuo.
Omnia certatim Charites tibi dona, Secunde,
Et vires numeris contribuere tuis.
Petre Secunde, quidem gaudebas nomine tali,
At nulli vatum, Petre, secundus eras.
Te quoties vidi properatum fundere carmen,
In quo visa tamen nulla litura fuit.
Non aliter, quam cum largus delabitur imber
E coelo, aut madido rore rigatur humus.
Non referam varias exculti pectoris artes,
Virtutum laudes eloquiiq; decus.
Praetereo, medica quam felix doctor in arte,
Doctrinae gnarus quam fuerisque Dei.
Ergo tuum merito lugent sacra numina fatum;
Te Phoebus deflet Pegasidumque chorus.
Te Nicer ipse dolet, Rhenus te luget et Ister;
Te lacrimis Albis prosequiturque suis.
Te quoque funereo gemitu deplorat Elister;
Nec Viadrus fletum continet ille suum.
Ast quia sic voluit mundi sator, arbiter aevi,
Rumperet ut vitae stamina Parca tuae:
Ille ego (quod superest), qui te ceu fidus Achates
Dilexi, tibi nunc mollia fata precor.

S c h u l n a c h r i c h t e n .

I. Allgemeine Lehrverfassung.

Der unterzeichnete Berichterstatter hat mit Genehmigung der obern Behörde auch für das neue Schuljahr den bisher befolgten Lehrplan in Bezug auf die Lehrgegenstände ohne wesentliche Veränderung fortbestehen lassen. Vielleicht würde er, wenn es die Umstände gestattet hätten, einem mehrfach geäußerten Wunsche genügt und der Physik in Prima eine Stunde zugelegt haben. Selbst für Secunda dürften ein Paar Stunden als zweckmässig erscheinen, damit die wichtigern Theile dieser interessanten Wissenschaft in den beiden obern Klassen so weit vorgetragen werden könnten, dass dann später auf der Akademie die Vorlesungen über Physik mit desto grösserm Gewinn benutzt würden.

In der Vertheilung der Lectionen der Tertia trat eine Abänderung ein, indem die zu sehr gehäuften Lehrstunden des Ordinarius bis auf 10 vermindert wurden. Dafür erhielt derselbe andere Lectionen in Quarta; woraus zunächst der Vortheil entspringt, dass der Lehrer die nach Tertia zu versetzenden Schüler schon vorher näher kennen lernt und bei der Versetzung seine Stimme geltend machen kann. Eben so einleuchtend ist es, dass die Lehrer, welche bisher nur 2 Stunden in Tertia unterrichtet hatten, nun mit 4 Stunden für die Klasse mehr wirken können.

Eine andere wichtige Veränderung, durch welche die Schule offenbar gewonnen hat, darf nicht mit Stillschweigen übergangen werden. Bisher wurden die öffentlichen Prüfungen der Gelehrten-Schule in der Woche nach Ostern und nach Michaelis gehalten. Nachdem schon früher um eine Abänderung dieser alten Einrichtung

nachgesucht worden war, entschied die obere Schulbehörde im December v. J. auf eine neue motivirte Eingabe des Lehrer-Collegiums, dass künftig das Examen unsrer Anstalt jedesmal 8 Tage vor der Prüfung der Klassen der Realschule sowohl vor Ostern, als vor Michaelis angestellt werden solle. Bei dieser Einrichtung wird namentlich eine Zerstreuung der Schüler durch die vorhergehenden Ferien verhütet; auch können die neuen Lehrstunden Ostern 8 Tage früher ihren Anfang nehmen, was namentlich für die Schüler der untern Klassen und für die neu eintretenden von Wichtigkeit ist. Die feierlichen Redeübungen und die Entlassung der Abiturienten, die sich sonst unmittelbar an die öffentliche Prüfung anschloss, findet nun den ersten Donnerstag unmittelbar nach dem Osterfeste statt. Das diesjährige Examen wurde den 9. u 10. März gehalten. Den Tag darauf besuchten unsere Schüler wieder ihre Lectionen. Vor dem Schlusse derselben wird die Versetzung aus den verschiedenen Klassen vom Director bekannt gemacht und die Quartal-Censur schriftlich mitgetheilt.

An diese Bemerkung fügen wir eine andere in Bezug auf die Abänderung der früher halbjährig ertheilten Censuren unsrer Schüler. Seit Ostern 1846 werden dieselben am Schlusse jedes Vierteljahrs nach gemeinschaftlicher Berathung und Besprechung in den Lehrer-Conferenzen nach bestimmten Prädicaten, in Bezug auf Betragen, Schulbesuch, Fleiss und Fortschritte entworfen, dann von den Ordinarien ausgestellt und vom Director mit unterzeichnet. Durch diese Einrichtung glaubten wir ebenfalls einem Wunsche der Eltern unsrer Schüler entgegen zu kommen.

Uebersicht der im verwichenen Schuljahre behandelten Lehrgegenstände.

a) *Prima.* Ordinarius Director Dr. Kraft.

Lateinisch. Cic. de Nat. Deorum Lib. I., II., c. 1 — 35, 2 St., Director Dr. Kraft. Im Winterhalbjahre auch Lectüre auserwählter Briefe von Wyttenbach. Recitation memorirter Oden des Horatius. — Horat. Odd. Lib. I.; Epist. Lib. I., 1 — 25, 2 St., Prof. Dr. Müller. Tacit. Ann. Lib. IV., VI., XI., XII., XIII., 2 St., Prof. Calmberg. Lat. Stilübungen, Exercitien, Extemporalia und eigne Aufsätze, verbunden mit metrischen Uebungen, 2 St., Lat. Disputirübungen, 1 St., Director Dr. Kraft.

Griechisch. Euripidis Hecuba; Hom. Ilias., Lib. XIV., XV., 3 St., Director Dr. Kraft. Thucydides, Lib. III. IV. c. 1 — 118. Elementa Logices Aristotelis, ed. Trendelenburg (ganz), 4 St., Prof. Ulrich.

Hebräisch. Psalmen 34 — 50, das 2. Buch Samuelis, 2 St., Prof. Calmberg.

Deutsch. Geschichte der Deutschen Literatur, von der ersten Hälfte des 18. Jahrh. bis auf Schiller, nach Pischon's Leitfaden, nebst Mittheilungen von Proben aus

den bedeutendsten Schriftstellern; Zurückgabe der corrigirten Aufsätze; abwechselnd Deutsche Disputationen, 3 St., Prof. Dr. *Müller*.

Französisch. Einige Stücke von Racine und moderne dramatische Schriften; aus dem Deutschen in's Französische übersetzt Körner's Zriny, 2 St., Lector *Tassart*.

Englisch. Gelesen wurde Irving's Sketchbook und ein Theil von Schiller's Maria Stuart in's Englische übertragen, 1 St., Lector *Glover*.

Religion. Christliche Glaubenslehre, nach Niemeyer; nach Beendigung derselben Evangelium Lucae c. 17 — 21 gelesen und erklärt, 2 St., Director Dr. *Kraft*.

Geschichte. Neuere Geschichte, nach Haacke, §. 129 — 219, 2 St., Coll. Dr. *Laurent*.

Griech. Liter. Geschichte. Nach Matthiä's Abriss der Lat. und Griech. Liter. Geschichte, 2 St., Prof. Dr. *Müller*.

Mathematik. Stereometrie und Lehre von den Kegelschnitten, nach Matthias' Leitfaden, 3 St., Prof. *Bubendey*.

Physik. Die Lehre vom Magnetismus, der Electricität und der Mechanik fester Körper, 1 St., Prof. *Bubendey*.

Zeichnen. In Verbindung mit den Secundanern, 2 St., Zeichenlehrer *Hardorff*.

Gesangunterricht. Combinirt mit den Gesangfähigen Schülern der *Secunda*, 2 St., Gesanglehrer *Klapproth*.

b) *Secunda.* Ordinarius Prof. Dr. *Müller*.

Lateinisch. Virgil. Aen. Lib. I.; Terent. Adelphi, 2 St.; Lat. Syntax, nach Madvig, wöchentliche Exercitia, metrische Uebungen, 3 St., Prof. Dr. *Müller*. Extemporalia abwechselnd mit Exercitien, nach Kraft's Anleitung, 2. Curs., 1 St., Director Dr. *Kraft*. Sall. Bell. Catil., Cic. pro Milone, pro Ligario, pro Rege Deiotaro, 2 St., Prof. *Calmberg*. Livius Lib. XXXI., XXXII., XXXIII., c. 1 — 30, 3 St., Prof. *Ulrich*.

Griechisch. Hom. Ilias Lib. XI., XII. Plat. Apol. Socr., 3 St., Prof. Dr. *Müller*. Herodot. Lib. VI., c. 94 bis Ende; VII., c. 1 — 148. Schreibübungen, 4 St., Prof. *Ulrich*.

Hebräisch. Obere Abtheilung: Formen- und Satzlehre nach Thiersch Grammatik. Uebersetzung schwerer Lesestücke aus Gesenius' Chrestomathie; Uebersetzung evangel. Perikopen in's Hebräische, 2 St. Untere Abtheilung: Formenlehre nach Thiersch, Uebersetzung leichter Lesestücke aus Gesenius' Chrestom., 2 St., Prof. *Hinrichs*.

Deutsch. Uebersicht der allgemeinen Rhetorik, Beurtheilung der eingeliferten Aufsätze; mündliche Vorträge der Schüler, 3 St., Prof. *Hinrichs*.

Französisch. Gelesen wurden einige Stücke des Molière; in's Französische übersetzt Lessing's Emilia Galotti, 3 St., Lector *Tassart*.

Englisch. Lectüre von Sinnet's Family Drama; in's Englische wurde übersetzt Schiller's Parasit und der Neffe als Onkel, 2 St., Lector *Glover*.

Religion. Geschichte der polytheistischen Religionen und der jüdischen Religion, nach Niemeyer; Evangel. Marci c. 1 — 7, 2 St., Prof. Dr. *Müller*.

Geschichte. Mittelalter nach Haacke, 3 St., Coll. Dr. *Laurent*.

Mathematik. Wiederholung des Abschnittes VII. der Geometrie, Beendigung der Planimetrie; in der Arithmetik die Lehre von den Gleichungen, nach Matthias' Leitfaden, 3 St., Prof. *Bubendey*.

Zeichnen. In Verbindung mit *Prima*, 2 St., Zeichenlehrer *Hardorff*.

Gesangunterricht. Zweimal wöchentlich, combinirt mit *Prima*, Gesanglehrer *Klapproth*.

c) *Tertia*. Ordinarius Prof. *Calmberg*.

Lateinisch. Caes. de Bell. Gall. Lib. I., 2 St., Prof. *Calmberg*. Ovid. Met. Lib. III., IV., v. 1 — 120, 2 St., Prof. Dr. *Müller*. Chrestom. Cic. ed. Kraft, §. 50 bis Ende; Cic. Cat. Mai. c. 1 — 18, 2 St., Coll. Dr. *Meyer*. Grammatik nach Madvig; vielfache Recitationen memorirter Pensa; Lat. Exercitia und Extemporalia; Lat. Prosodie nebst metrischen Uebungen, 5 St., Prof. *Calmberg*.

Griechisch. Hom. Odyss. Lib. XX. — XXII., die erklärten Abschnitte wurden memorirt und recitirt; Grammatik nach Kühner; Schreibübungen mit beständiger Hinweisung auf die Grammatik, 4 St., Prof. *Calmberg*. Xenoph. Anab. Lib. V., VI., VII., c. 1 — 6, 2 St., Prof. *Ulrich*.

Deutsch. Grammatik nach Becker; Biographien classischer Schriftsteller; Lectüre dramatischer Stücke von Schiller; Declamation; Zurückgabe corrigirter Aufsätze, 3 St., Coll. Dr. *Laurent*.

Französisch. Lectüre von Charles XII. par Voltaire; Schiller's Parasit in's Französische übertragen, 3 St., Lector *Tassart*.

Englisch. In 2 Abtheilungen: Lectüre von Williams' Reader, Part first; Uebersetzungsaufgaben aus Williams' Grammatik, zusammen 4 St., Lector *Glover*.

Religion. Christliche Glaubenslehre, nach dem grössern Hamb. Katechismus; die Beweisstellen wurden in der Ursprache gelesen und erklärt, 2 St., Prof. *Calmberg*.

Geschichte. Ausführliche Erzählung der Römischen Geschichte bis auf Augustus, nach Kraft's Zeittafeln, 2 St., Coll. Dr. *Laurent*.

Geographie. Alte Geographie, 1 St., Coll. Dr. *Meyer*.

Mathematik. Geometrie: Abschnitt V. des Lehrbuchs und Abschnitt VI. theilweise; Arithmetik: Buchstabenrechnung, Gleichungen des ersten und zweiten Grades, 4 St., Prof. *Bubendey*.

Naturgeschichte. Im Sommer: Botanik; im Winter: Zoologie, 1 St., Prof. *Calmberg*.

Zeichnen. Wöchentlich 2 St., Zeichenlehrer *Hardorff*.

Gesangunterricht. Jede Woche zweimalige Uebungen, Gesanglehrer *Klapproth*.

d) **Quarta.** Ordinarius Prof. *Ullrich*.

Lateinisch. Phaedri Fabulae Lib. I., III., V., 2 St., Prof. *Ullrich*. Cornel. Nepos, Timol., de Regibus, Hamilc., Hannib., Cato, Atticus, 3 St. Prosodie, 1 St., Coll. Dr. *Laurent*. Grammatik nach Zumpt's Auszug und Hoffmann's Beispielsammlung; Lat. Exercitia nach Dronke's Aufgaben, 1. Abtheilung, 4 St., Prof. *Hinrichs*.

Griechisch. Formenlehre und Syntax, nach Kühner's Griech. Elementar-Schulgrammatik, nebst Uebersetzung aus dem Deutschen in's Griech.; Jacobs' Elementarbuch 1. Theil; die Aesopischen Fabeln nach Wagner's Ausgabe und Methode, 5 St., Prof. *Ullrich*.

Deutsch. Grammatik nach Becker's Leitfaden; Lesen und Declamiren; Zurückgabe corrigirter Aufsätze, 3 St., Coll. Dr. *Laurent*.

Französisch. Grammaire méthodique par Stieffellius; Uebersetzung aus dem Deutschen in's Französische nach Gallois' Uebersetzungsbuche No. 63—104; gelesen wurden Secondes Lectures par Gallois p. 92—180, 3 St., Lector *Gallois*.

Religion. Die christliche Glaubenslehre nach dem grössern Hamb. Katechismus; Uebersicht der biblischen Bücher des A. u. N. Testaments; Erklärung evangelischer Perikopen, 3 St., Prof. *Hinrichs*.

Geschichte. Erstes Semester: mittlere Geschichte bis 1492; zweites Semester: neuere Geschichte bis 1789, 2 St., Coll. Dr. *Meyer*.

Geographie. Im Sommerhalbjahre: Africa; im Winterhalbjahre: Repetition über Deutschland, 2 St., Coll. Dr. *Meyer*.

Mathematik. Geometrie: Abschnitt V. des Lehrbuchs und Abschnitt VI. theilweise; Arithmetik: Buchstabenrechnung, Gleichungen des ersten und zweiten Grades, 4 St., Prof. *Bubendey*.

Zeichnen. Wöchentlich 2 St., Zeichenlehrer *Hardorff*.

K

Gesangunterricht. In Verbindung mit Tertia, wöchentlich 2 mal bei dem Gesanglehrer *Klapproth*.

e) *Quinta.* Ordinarius Prof. *Hinrichs*.

Lateinisch. Formenlehre, nach dem Auszuge aus Zumpt's grösserer Grammatik; Uebersetzung von Hoegg's Uebungsstücken, 2. Curs.; Lectüre von Jacobs' Lat. Elementar-buche 1. Bdchn.; Lat. Schreibübungen nach Schulze's Vorübungen, 6 St., Prof. *Hinrichs*.

Griechisch. Einübung der Formenlehre, Uebersetzung aus dem Griechischen in's Deutsche und aus dem Deutschen in's Griechische, nach Kühner's Elementar-Grammatik, 4 St., Coll. Dr. *Meyer*.

Deutsch. Grammatik, nach Heyse's Leitfaden; Lectüre und Erklärung von Gedichten; Declamation; Zurückgabe corrigirter Aufsätze, 3 St., Coll. Dr. *Meyer*.

Französisch. Grammaire méthodique par Stieffellius; Uebersetzung der Deutschen Beispiele bis zum Ende derselben in's Französische; mündliche Wiederholung der corrigirten Copien; Uebersetzung der Secondes Lectures par Gallois, p. 1 — 132, 4 St., Lector *Gallois*.

Religion. Die christliche Glaubenslehre nach dem kleineren Hamb. Katechismus; Erzählungen aus der biblischen Geschichte des A. T., 3 St., Prof. *Hinrichs*.

Geschichte. Erstes Semester: die ältesten Staaten Asien's, Africa's und Europa's, besonders Griech. Geschichte bis auf die Perserkriege; zweites Semester: Griech. und Macedonische Geschichte bis auf die Zeit des Achäischen Bundes und die Unterjochung der Römer (146 v. Chr.), 2 St., Coll. Dr. *Meyer*.

Geographie. Allgemeine Einleitung, Europa, besonders Deutschland, 2 St., Coll. Dr. *Meyer*.

Mathematik. Vielfache Uebungen im Rechnen nach den verschiedenen Vor-kenntnissen der Schüler; erste Elemente der Geometrie, 4 St., Prof. *Bubendey*.

Naturgeschichte. Erstes Semester: Botanik; zweites Semester: Mineralogie, 2 St., Coll. Dr. *Meyer*.

Zeichnen. Wöchentlich zweimal bei dem Zeichnenlehrer *Hardorff*.

Schönschreiben. Zwei Stunden wöchentlich, Schreiblehrer *Elten*.

Gesangunterricht. Choräle und leichte Gesangstücke, zweimal die Woche bei dem Gesanglehrer *Klapproth*.

f) *Sexta.* Ordinarius Coll. Dr. *Fischer*.

Lateinisch. Formenlehre, nach Zumpt's Auszug aus der grössern Grammatik; Uebersetzung aus dem Latein. in's Deutsche; Hoegg's Uebungsstücke p. 88 — 95

und Jacobs' Lat. Elementarbuch, 1. Curs. p. 1 — 30. p. 60 — 92; wöchentlich zwei schriftliche Uebersetzungen aus dem Deutschen in's Lateinische; Hoegg's Uebungsstücke p. 1 — 77, zusammen 4 St., Coll. Dr. *Fischer*.

Deutsch. Die Elemente der Formenlehre und die ausführliche Lehre von der Satzbildung; Uebungen im Lesen, im Vortrage memorirter Gedichte; orthographische Uebungen; für die reiferen Schüler kleine Aufsätze, 4 St., Coll. Dr. *Fischer*.

Französisch. Eintübung des Gebrauchs der verschiedenen Artikel, der Pronomina, der Hilfszeitwörter, der regelmässigen Conjugationen und mit den reiferen Schülern auch die gebräuchlichsten unregelmässigen Zeitwörter; Uebungen im Lesen und im Vortrage memorirter Abschnitte; Uebersetzung aus dem Französischen in's Deutsche. Premieres Lectures Françaises par Willm p. 1 — 125, und schriftliche Uebersetzung aus dem Deutschen in's Französische, theils nach Fring's Aufgaben, theils nach Dictaten, p. 13 — 128, zusammen 3 St., Coll. Dr. *Fischer*.

Biblische Geschichte. Erklärt wurde die Geschichte des A. T. und ein Theil des N. T.; Recitation passender Lieder aus dem Hamb. Gesangbuche, 2 St., Director Dr. *Kraft*.

Geschichte. Erzählung aus der alten Geschichte mit besonderer Rücksicht auf Ethnographie und Biographie; im Winterhalbjahre: zusammenhängende Geschichte bis Constantin d. Gr., 2 St., Coll. Dr. *Fischer*.

Geographie. Die Elemente der mathematischen und physicalischen Geographie; darauf das Wesentlichste aus der Geographie von Asien, Africa und America und die specielle Geographie von Europa, 2 St., Coll. Dr. *Fischer*.

Naturbeschreibung. Zoologie, insbesondere die ausführliche Beschreibung der Wirbelthiere; im Sommer die Elemente der Botanik, 2 St., Coll. Dr. *Fischer*.

Arithmetik. Wegen Verschiedenheit der Vorkenntnisse waren die Schüler dieser Klasse in 3 Abtheilungen vertheilt. Die Schwächeren wurden in den 4 Hauptrechnungsarten geübt; die Geübteren hatten Bruchrechnung, und mit den Fähigern wurde die Lehre von den Verhältnissen und Proportionen durchgenommen und diese sodann auf die Regel Detri angewendet. Ausserdem übte der Lehrer die 3 Abtheilungen wöchentlich eine Stunde im Kopfrechnen, wobei er ihnen zugleich die sogenannten Vortheile zum Kurz- und Schnellrechnen zeigte, 4 St., Rechenlehrer *Möller*.

Schönschreiben. Wöchentlich 3 St., Schreiblehrer *Elten*.

Gesangunterricht. Zweimal wöchentlich bei dem Gesanglehrer *Klapproth*.

II. Schulchronik.

1. Lehrer-Collegium.

Im letzt verwichenen Schuljahre trat eben so wenig wie in dem vorher verflossenen eine Veränderung in Hinsicht des Bestandes des Lehrer-Collegiums ein. Auch konnten Alle ohne irgend eine längere Störung durch Krankheitsfälle ihren Amtspflichten genügen.

2. Klassenbestand.

Prima	zählte nach Ostern 1846	12 Schüler.
Secunda	„ „ „ „	24 —
Tertia	„ „ „ „	22 —
Quarta	„ „ „ „	25 —
Quinta	„ „ „ „	18 —
Sexta	„ „ „ „	24 —

zusammen 125 Schüler.

Prima	zählte nach Michaelis	12 Schüler.
Secunda	„ „ „ „	25 —
Tertia	„ „ „ „	30 —
Quarta	„ „ „ „	16 —
Quinta	„ „ „ „	22 —
Sexta	„ „ „ „	22 —

zusammen 127 Schüler.

3. Angabe der ausgeschiedenen Schüler.

Aus Secunda zu Michaelis 1846:

Ernst Jaques, aus Hamburg, wollte sich der Handlung widmen.

Aus Tertia zu Johannis 1846:

John Lane, aus England, ging in sein Vaterland zurück, um die Handlung zu erlernen.

Zu Michaelis:

Henri Noblée, aus Hamburg, gedachte sich einem andern Berufe zu widmen.

Otto Bürstenbinder, aus Hamburg, wollte sich für die Militair-Schule näher vorbereiten lassen.

Aus *Quarta* zu Johannis:

Richeux Mary, aus Cap Hayti, kehrte in sein Vaterland zurück, um das Handelsfach zu erlernen.

Aus *Quinta* zu Michaelis:

Otto Bartusch, ging wegen Familien-Verhältnisse nach Berlin, um dort eine Schule zu besuchen.

Otto May, aus Hamburg, gab den Plan zu studiren auf und ging zur Realschule über.

Siegfried Ehbets, aus Hamburg, verliess die Schule wegen Kränklichkeit.

Aus *Sexta* kurz vor Johannis:

August Lossau, aus Hamburg, musste wegen fortdauernder Kränklichkeit die Schule verlassen.

Aus *Prima* vor Ostern 1847:

Martin Elias, aus Hamburg, entschloss sich seine wissenschaftliche Vorbildung für die Akademie auf einer andern Anstalt fortzusetzen.

Nach Ostern werden aus *Prima* abgehen:

1. Nach bestandener Maturitäts-Prüfung:

Heinrich Bonfort, aus Hamburg, 19½ Jahr alt, 2 Jahre Primaner, gedenkt in Bonn das Studium der Jurisprudenz zu beginnen.

Christian Strauch, aus Hamburg, 19 Jahre alt, 2 Jahre Primaner, wird zunächst in Jena Medicin studiren.

2. Ohne Maturitäts-Prüfung verlässt die *Prima*:

Wilhelm Schneider, aus Bramstedt im Holsteinischen, 19½ Jahr alt, 1 Jahr Primaner, gedenkt in Kiel die Rechtswissenschaft zu studiren.

4. *Neu aufgenommene Schüler.*

Während des letzt verflossenen Schuljahrs von Ostern 1846 bis Ostern 1847 traten in unsere Anstalt 34 neue Schüler ein. Von diesen wurden nach *Prima* 2, nach *Secunda* 5, nach *Tertia* 4, nach *Quarta* 5, nach *Quinta* 4, nach *Sexta* 14 aufgenommen.

5. Ankündigung der öffentlichen Redeübung.

Dieselbe wird Donnerstag, den 8. April, von 10 Uhr an in der Aula des Johanneums stattfinden. Es werden zwei der zur Universität übergehenden Primaner mit eignen Arbeiten vor der Festversammlung auftreten, die übrigen Declamanten aber memorirte poetische Stücke vortragen.

Christian Strauch, wird in einer Lateinischen Rede zu zeigen suchen, welche Verdienste Solon sich um Athen erworben habe.

Heinrich Bonfort, gedenkt in Deutscher Sprache über den Einfluss der schönen Künste auf das sittliche Gefühl des Menschen seine Ansichten zu entwickeln, und wird dann von der Schule und deren Lehrern Abschied nehmen.

Zuletzt wird der Unterzeichnete, nach einer kurzen Anrede, den abgehenden Primanern das Zeugniß der Reife einhändigen und sie aus der Anstalt entlassen.

6. Aufnahme neuer Schüler.

Die Prüfung der neu aufzunehmenden Schüler findet den 9. April von 11 Uhr des Morgens an in der Wohnung des Directors statt. Die Anmeldungen erwarten wir einige Tage früher.

7. Anfang des neuen Lehrcursus.

Die Lehrstunden für das neue Schuljahr beginnen Montag unmittelbar nach der Festwoche, den 12. April, früh 8 Uhr.

Dr. Kraft.

U e b e r s i c h t

der statistischen Verhältnisse der Gelehrten-Schule des Hamburgischen Johanneums
im Schuljahre von Ostern 1846 bis Ostern 1847.

Lehrer-Collegium.	Allgemeiner Lehrplan.								V e r h ä l t n i s s e d e r								
	Fächer.	Klassen und Stunden							S c h ü l e r .				Abiturienten.				
		I	II	III	IV	V	VI	Summa	In waren nach Ostern 1846 nach Michaelis desselben Jahres	Gingen zum akademischen Studium über	Studiren						
											wo?	was?					
Director Dr. Theol. Kraft, Ordinarius von Prima.	Latein.	9	11	10	10	6	4	50	I	12	12	Ostern	14	in Heidel- berg	5	Theologie	3
Professor Dr. Theol. Müller, Ordinarius von Secunda.	Griechisch.	7	7	6	5	4	—	29	II	24	25					Jurisprud.	6
	Hebräisch.	2	2	—	—	—	—	4	III	22	30			in Bonn	3	Medicin	5
Prof. Dr. Calmberg, Let.Theol. Ordinarius von Tertia.	Deutsch.	3	3	3	3	3	4	19	IV	25	16						
Professor Dr. Ullrich, Ordinarius von Quarta.	Französisch.	2	3	3	3	4	3	18	V	18	22			in Göttin- gen	1	Summa	14
Professor Dr. Hinrichs, Ordinarius von Quinta.	Englisch.	1	2	2	—	—	—	5	VI	24	22						
Professor Bubendey, Lehrer der Mathematik.	Religion.	2	2	2	3	3	2	14						in Leipzig	2		
Collaborator Dr. Meyer.	Mathematik.	3	3	4	4	4	4	22	Sa.	125	127	Summa	14	auf dem Ham- burg. akade- mischen Gym- nasium			
Collaborator Dr. Laurent.	Physik.	1	—	—	—	—	—	1									
Collaborator Dr. Fischer, Ordinarius von Sexta.	Geographie.	—	—	1	2	2	2	7									
Lector der Franz. Sprache Tassart.	Geschichte.	2	3	2	2	2	2	13									
Lector der Franz. Sprache Gallois.	Alte Literat.- Geschichte.	2	—	—	—	—	—	2									
Lector der Engl. Sprache Glover.	Naturbe- schreibung.	—	—	1	—	2	2	5									
Zeichnenlehrer Hardorff.	Zeichnen.	*2	*2	2	2	2	—	10									
Schreiblehrer Elten.	Schönschrei- ben.	—	—	—	2	2	3	7									
Rechnenlehrer Möller.	Gesang.	*2	*2	*2	*2	2	2	12									
Gesanglehrer Klapproth.	Summa	38	40	38	38	36	28	218						Summa	14		

Anmerk. Die mit * bezeichneten Stunden sind combinirte Lectionen.



32101 061258784

